

**Tractatus de apoplexia : dissertatio inauguralis medico-practica / auctore
Ludovico Josepho Melicher.**

Contributors

Melicher, Ludwig Joseph, 1816-1871.
Francis A. Countway Library of Medicine

Publication/Creation

Vindobonae : Typis Caroli Ueberreuter, 1840.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bwdwyfdu>

License and attribution


This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School, where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School



198102

TRACTATUS

DE

APOPLEXIA.

Dissertatio inauguralis medico-practica.

Auctore

Ludovico Josepho Melicher,

Medicinae Doctore.

Vindobonae.

TYPIS CAROLI UEBERREUTER.

1840.



Leben für Andere, nicht für sich, das ist das Wesen des Berufs eines Arztes. Nicht allein Ruhe, Vortheile, Bequemlichkeiten und Annehmlichkeiten des Lebens, sondern Gesundheit und Leben selbst, ja, was mehr als dies Alles ist, Ehre und Ruhm, muss er dem höchsten Zwecke, Rettung des Lebens und der Gesundheit anderer, aufopfern.

Hufeland.

Wahrlich ! so lange Einer lebt , hat er mit dem Leben nicht abgeschlossen ; Gutes und Schlimmes kann ihn erreichen , wenn und wo er es am wenigsten erwartet.

Dr. Simon, jun.

Perfer et obdura, dolor hic tibi proderit umquam.

Ovidius.

Est etiam non infimum meritum, aliorum praecclara observata firmare suis et illorum praeeceptis subscribere.

Max. Stoll, Rat. med. P. III. Pag. 249.

οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο,
πάντων, ὃσσα τε γαῖαν ἐπι πνείει τε καὶ ἔρπει.
οὐ μεν γάρ ποτέ φησι κακὸν πείσεσθαι ὅπίσσω,
ὅφη ἀρετὴν παρέχωσι θεοί, καὶ γούνατ' ὄρώη·
ἄλλ' ὅτε δὴ καὶ λυγρὰ θεοὶ μάκαρες τέλεσωσιν,
καὶ τὰ φέρει ἀεκαζόμενος τετληότι θυμῷ.
τοῖος γάρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
οἷον ἐπ' ἡμαρ ἀγησι. πατήρ ἀνδρῶν τε θεών τε.

ΟΜΗΡΟΥ ΟΔΥΣΣΕΙΑ. XVIII. 130.

MAGNIFICO
ILLUSTRISSIMO AC CELEBERRIMO
Domino Domino
LUDOVICO LIBERO BARONI
A TÜRKHEIM,

MEDICINAE DOCTORI,

EQUITI ORDINIS INSIGNIS REG. HUNGAR. S. STEPHANI, CAES. REG.
CONSILIARIO AULICO ACTUALI, ASSESSORI CAES. REG. DELEGA-
TIONIS AULIC. PRO STUDIIS, STUDII MED.-CHIRURGICI VICEDI-
RECTORI PRIMO, INCLYT. FACULT. MED. VINDOBON. ATQUE SOCIE-
TATIS OECONOMIAE RURAL. MEMBRO ORDINARIO, ACADEMIAE
SCIENTIARUM ET ARTIUM PATAVINA, SOCIETATIS PHYSICO-ME-
DICIN. ERLANGENSIS, NEC NON ATHENAEI VENETI SODALI HONO-
RARIO, SOCIETATIS MEDICO-BOTANICAE LONDINENSIS MEMBRO
CORRESPONDENTI, ANTIQUISSIMAE AC CELEBERRIMAE UNIVER-
SITATIS VINDOBONENSIS PRO ANNIS 1817 ET 1829 RECTORI
MAGNIFICO SUMME EMERITO etc. etc.

OBITUARIA

V I R O.

QUEM.

IMPERATOR . ARS . ET . PATRIA.

AEQUO . JURE . SIBI . VINDICANT . SUUMQUE . NOMINANT .

MAGNANIMITATE . BENEVOLENTIA .

INGENIO . AC . SCIENTIA .

AEQUE . INSIGNI .

SUMMO . BONARUM . LITERARUM . AESTIMATORI .

CULTORI . ET . FAUTORI .

IN . PROFUNDAE . VENERATIONIS . ANIMI . GRATISSIMI .
SINCERIQUE . CULTUS . TESTIMONIUM .

HASCE . STUDIORUM . PRIMITIAS .

PIA . CUM . DEVOTIONE .

sacras vult

gratissimus et humillimus

Melicher.

Proemium.

Ad spem laureae doctoratus medici adspirans et lege augustissima jussus, opusculum aliquod ad rem medicam spectans publicae eruditorum disquisitioni submittere, diu in dubio haesi, quod de tanto rei medicae scientiarum numero thema dissertationis meae eligerem. Jam fere per triennium „de morbis intestini recti“ multa opera virorum clarissimorum pathologica et therapeutica pervolvebam, et nonnulla propria, imprimis ad pathologiam et physiologiam intestini recti spectantia, inveni, ast haec omnia experientia et observatio non satis confirmavit, ita, ut nunc temporis haec in lucem proferre non audeam. Eandem sortem habet elaboratio mea „de Coffea“, multa de hac conscripsi, innumera experimenta cum potu e fabis arabicis parato in memet ipso et in aliis institui, inveni, quando conveniat, quibus et quomodo, quando digestionem firmet corpusque roboret, quando relaxationem omnium partium, tremores, debilitatem et virium exhaustionem inducat, post quorum ciborum et potulentorum usum sumendus, quibus auxiliis et cur adhibendus? et sic alia. Tertium adhuc opus conscripsi, quod volui etiam pro themate dissertationis eligere et palam facere, sistit nempe: „Diagnosim phlogosum

earumque ab aliis morbis differentias.“ Opus fere finitum, ast tantum ultimam limam explorat. Arduum et sat difficile opus, interiorem metam curru tenebat, attamen ob tam breve et limitibus arctis circumscripsum tempus, frustra manibus et pedibus conabatur, terminum adtingere; hinc delassatum remansit usque dum aptas vires recuperabit et mundo sese offerre valebit. — Sine miseratione tamen Minervae hocce tributum publice reddendum est; hinc, haud ignarus, quam aspera atque ardua res sit, opusculum medicum exarare, imprimis tyroni vix ludos literarios egresso, elegi morbum frequentissime occurrentem, cuius proxima causa nondum develata et nostris hucusque temporibus maxima caligine, gravissimis nubibus obducta est, describere. Morbum, uti **Apoplexia**, tantas insidias tantasque miserias generi humano struentem, tam derepente intrantem, animum corpusve devastantem, delineare, in dies magis magisque animus meus exagitabatur. Etenim, morbus iste quoniam homini tam infestus, nulli aetati, sexui nullique corporis constitutioni parcit, atrocissimis memoratu fere incredibilis symptomatibus incedit, vitam nostram utique brevem extinguit; morbum, cuius natura adhuc occulta, undique, si ita dicere licet, lapideis muris vincita est, cuius demum facies tam terribilis; morbum, quem plus quam quadragies observavi, effreni violentia subito exsurgentem, vitam sanissimi ad speciem hominis, fulminis ad instar mortificantem, quantum valeant humeri, fusius describere suscepit. Et,

quo magis ea in animum revoco meum, dum in Austriae Metropoli diro hoc morbo detentum aegrum sors tristissima die 28. Martii anni 1840 in meas manus conjectit: Virum eruditione eximum, humanitate et liberalitate insignem, colendissimum atque amandissimum suis discipulis et familiaribus, Virum de se optime meritum, Reverendissimum Dominum J o s ephum Pletz, Sacrae Theologiae Doctorem, Aulae atque Palatii C. R. Parochum, Abbatem infulatum B. M. V. de Pagrany, C. R. excelsi Inferioris Austriae Regiminis et Archiepiscopalis Consistorii a Consiliis, Supremum C. R. sublimioris Educationis Instituti ad S. Augustinum et Facultatis Theologicae in Alma Universitate Vindobonensi Directorem, Assessorem et Referentem ejusdem Facultatis penes C. R. Aulicam Studiorum Commissionem etc. etc. etc., ex eo tempore, quo hicce Ingeniosus Vir, reipublicae veluti fulcrum et sustentaculum ornamentumque, in aetatis flore, ac medio laborum suorum utilissimorum et ad salutem plurimum spectantium curriculo, apoplexia correptus abreptusque; ex eo tempore apoplexiae naturam diligenter scrutari et auctorum opera huc agentia sedulo pervolvere incepi, et diligenter studui, quonam modo morbus comprimentus, genus huma- num a morbo tantis miseriis conjuncto liberandum, atque hostiae ejus eripiendae aut saltem minuendae sint. Verum operis pretium est, de tali morbo, qui tanta mala nobis parat, tantasque molestias generat, aegro et medico formidulosus, fere semper lethalem eventum habet, paucis saltem verbis aliqua dicere.

VIII

Arduum — nos non praeterit — subivimus opus;
nam abstrusi hujus morbi adumbratio,

„Judicis argutum quae non formidat acumen,“
vires nostras, quas pertenues esse probe scimus,
longe superat. Sed quod virium debilitas relinquit,
industria quodammodo studuimus compensare. Imita-
ti sumus apis rationem, quae materiam ex floribus
horti et agri elicit, sed tamen eam propria facultate
vertit et digerit.

In pertractatione tam obscuri et gravis morbi
neque multum novi praebere, neque quid verioris di-
cere potuimus. Quae vidimus atque observavimus,
corroboravimus casibus observatis et nonnullis trac-
tatis. Novam hujus morbi subdivisionem observatio-
nibus comprobatam statuimus, complicationesque
varias enumeravimus; pathologiam anatomicam novis
inventis adauximus; statisticam hujus morbi in **Au-**
striae Metropoli addidimus, therapiamque fusius ex-
planavimus. Praeterea collegimus in hoc libello cir-
ca rem adsignatam notatu dignissima; illis, quae cui-
libet auctori propria sunt, auctorem ipsum p[re]a ut
postposuimus. Opusculum totum in duas partes divi-
simus, nempe: in generalem, quae agit de natura et
indole apoplexiae, causis, nec non therapia prophyl-
actica, et: in specialem, quae singulas apoplexiae
species pertractat.

Restat, ut, quae hucusque tacitum implevere
pectus, grates meas summas nunc aperiam et **CELE-**
BERRIMIS, DOCTISSIMIS atque pie a me per
omnem vitam **COLENDIS DOM. DOM. PROFES-**

SORIBUS FACULTATIS MEDICAE palam referam pro institutione in arte medica, qua sub illorum auspiciis paternis gavisus sum, et pro singulari benevolentia, qua omni occasione omnique tempore me sunt prosecuti.

Occasione liceat hicce utar, summe **Venerando**, celeberrimo Medicinae Doctori, Suae C. R. Majestatis Consilario, Domino **JOANNI NEP. SEEBURGER**, Vicederectori et Primario in Caes. Reg. Nosocomio Universali Viennensi, Facultatis med. Vindob. Sodali etc. etc., maxumas et in corde nunquam delendas gratias pro benevolentia, pro permissione ejus divisionem, quam per annum frequentavi, invisiendi, nec non instructione in hippocratica arte practica publica referendi.

Liceat simul, ut celeberrimo atque aestumatisimo Medicinae et Chirurgiae Doctori, Domino **FRANCISCO SCHUH**, artis chirurgiae operativae Chironi, Nosocomii generalis Chirurgo Primario, Facultatis med. Vindob. Sodali etc. etc., pro benevolentia divisionem ejus frequentandi, pro instructione in arte operativa chirurgica, grates agam sincerimas, nullo temporum tractu ex animo meo delendas.

TIBI autem, **FRATER FRANCISCE XAVERI** carissime atque dilectissime! Mentor sapientissimo, Maecenati clementissimo, humanitate ac generositate insigni, qui mihi redivivus pater resurrexi, jam infantiam meam medicam per tot discrimina rerum solerti manu direxisti, et juvenem ad metam exoptatam tandem perduxisti, pro tot tantisque in


X

me collatis beneficiis cum Fraterna pietate summas
grates exhibeo.

Accipe nunc, Lector Benevole, pagellas hasce,
atque judicem aequum praesta tironi, qui curtae su-
pellectilis literariae compos, laborum academicorum
modestissimo animo tibi tradere audet primitias.

Scripsi in Austriac Metropoli die 18. Octobris 1840.

Auctor.



S E C T I O . I.

Tractatus Apoplexiae Generalis.

§. 1. S y n o n y m a.

Apoplexia, Germanis: der **Schlag**, der **Schlagfluss**.

Graecis: *ἀποπληξία, ἀποπληξίν* (a vocabulo graeco *ἀπο* et *πληττω*, *ἀποπλεττεν*, ictu prostertere, attonitum reddere) dicitur ex eo, quod aegri, quos morbus hic gravis invadit, uno quasi ictu percussi concidant.

Secundum varios auctores, qui varie genesim apoplexiae morbosam explicarunt, morbus noster varias acquisivit denominationes. Sic nuncupatus ab **Hippocrate** **Aphonia syncoptica**, a **Celso** **morbus attonitus**, **Sideratio**, ab **Aegyptiis** testibus **Hasselquist**¹⁾ et **Sauvagesio**²⁾ **nyls bred**, i. e. fluxio frigida, a **Paracelso** **Gutta**, ab aliis **Ictus sanguinis**, **Theoplegia**, **Apolepsis**, **Resolutio nervorum**, **Ecplixis**, **Percussio**, **Attonitus stupor**, **Apoplexia exquisita**, **completa**, **Panplegia**, **Asphyxia sanguinea**, **Paralysis universalis**, **Epilepsia astrobalia**; a **Gallis**: **Apoplexie**, **Coup d'Apoplexie**, **Apoplexia foudroyante**; ab **Italis**: **Percossa**, **Colpo**, **Gocciola**, **Apoplessia**, **Accidente**; ab **Anglis**: **Apoplexy**; a **Polonis**: **Apoplexya**; a **Bohemis**: **Sslak**, **Sslakem byl poraněný**; ab **Hungaris**: **Gutaütés**; a **Russis**: **Носмръба**.

¹⁾ Iter Palaestinum.

²⁾ Nosolog. method. Ed. C. F. Daniel. T. II. Pag. 479.

Ut nomina apoplexiae, sic definitiones ab aucto-ribus traditae discrepant inter se.

§. 2. D e f i n i t i o .

Sub nomine Apoplexiae intelligitur subito intrans, repentina ac plenaria sensuum tam externorum quam internorum, motuumque voluntariorum abolitio, superstitibus tamen cordis arteriarumque motu, respiratione utut saepe diffcili et stertorosa, ac reliquis functionibus languentibus, quae vitae vegetativae agnoscunt imperium; breviter: *Apoplexia est sublatio, jactura repentina vitae psychicae, functionum incitationis, cum quibus functiones vegetationis plus minus hebescunt.*

Apoplexia vario modo a medicis secundum variam pathogeniae explicationem definitur: *Hippocrates* et *Aretaeus* sub vocabulo hoc non semper morbum universalem, sed subinde solam partis unius resolutionem denotant. *Aegineta* dicit: respiratio apoplecticis superest; pessimum in hoc morbo signum, si respiratio intermittat, vel magna cum violentia fiat. *Aetius Archigenem* sic loquentem inducit: Utque absolute dixerim, qui in hanc incident aegritudinem sensu omni carentes, mortui vivant.

Juxta *Galenum*: detentio mentis cum abolitione sensuum et corporis resolutione. Et idem alio in loco dicit: „*Apoplexia est abolitio sensus et motus in omnibus nervis.*“

Stollio apoplexia est: subitanea sensuum in- et externorum motuumque voluntariorum abolitio, superstitibus respiratione ac pulsu.

Secundum mentem magni *Boerhavii*: subita integraque sensuum in- et externorum, simulque omnium motuum voluntariorum abolitio, superstite saepe pulsu forti et respiratione magna, diffcili, stertente, una cum imagine somni perpetui atque profundi.

Cel. de *Hildenbrand* apoplexia est: adynamiae propria modificatio, et subitanea omnium sensuum et motuum voluntariorum abolitio cum artuum et sphincterum relaxatione, persistentibus ceteris functionibus vitalibus, respiratione, pulsu cordis et arteriarum.

Sec. *Selle* consistit apoplexia: in sopore alto cum stertore et paralysi. — Sec. *Chandler*: est morbus, in quo sensus interni et externi, ac muscularum usus certo gradu aboliti sunt, excepto cordis et respirationis usu. — *Cullen* apoplexiam ponit: in motuum voluntariorum imminutione cum sopore profundo, integris tamen motibus cordis et arteriarum et respiratioue tardiori.

Sec. *C. Burdach*¹⁾ apoplexia est: ille status morbosus in genere, in quo superiores, nominatim psychicae hominis facultates subito cessant, cum inferiores ejusdem functiones, plus aut minus intactae, normaliter procedunt.

C. P. Frankio apoplexia et paralysis idem malum, et nonnisi gradu, et causarum sede diversum, cum ex altera, altera nascatur; quamvis in paralysi sensus interni uti in apoplexia non adficiantur, est tamen certa in utroque morbo flaccida impotentia, quare paralysim tanquam partialem apoplexiam considerat et ita describit apoplexiam: est sopor morbosus, profundus, cum sensuum abolitione, ac motus, excepto cordis et thoracis, illorum majore, hujus ex parte jactura.

Quaecumque autem fuerit haec sensuum et motuum cessatio aut interceptio, eam cerebri nervorumque praecipua culpa fieri oportet, ut a morte aut a syncope, quae ab aliis classis vitiisque praecordiorum nascitur, opportune segregetur. Vita sive reactio vitalis in hoc

¹⁾ Die Lehre vom Schlagflusse, seiner Natur, Erkenntniss, Verhütung und Heilart, nach den neuen Ansichten bearbeitet. Leipzig, 1806.

morbo nunquam penitus sublata, nam plane denegato cerebri in corpus imperio, mors magis, quam apoplexia oriatur, necesse est. — Ut liceat verbis germanicis edicere: „Es ist bloss eine plötzliche Aufhebung, Hemmung (oder Unterdrückung) der Lebenskräfte, ohne Auslöschung der innern Lebensflamme; das Gehirn ist hier am meisten betheiligt, und durch dieses das vegetative Leben.“

§. 3. Nosographia Apoplexiae.

Morbi sedes in genere est cerebrum.

Apoplexia vel subito et inopinata intrat, vel ut plurimum ipsi symptomata praecedere consuescunt — symptomata scilicet prodroma, quorum cognitio ideo summe necessaria, quia per hanc tantum saepe possibile, insultum minacem, horribilem, saepe cito intrantem, praevertere, diaeta, aptisque remediis tollere; aut insultum procrastinare; aut saltem illius vehementiam imminuere¹⁾). Hinc tria stadia apoplexiae, cujuscumque sit generis, assumimus, nempe: stadium primum sive prodromorum; stadium secundum, sive insultus ipsius, et stadium tertium, quod secundum exitum morbi varium, aut criticum aut paralyticum, lethale, aut in alios morbos, aut in sanitatem abit.

Stadium primum sive Prodroma Apoplexiae.

Homines non pauci, in apoplexiā nitentes, priusquam morbo ipsi subjiciantur, per plures jam dies, hebdomades ac menses symptomata manifestant prodroma, respectu prophylaxeos admodum memorabilia. Huc spectant: magna in somnum tempore insueto propensio;

¹⁾ Fr. Chr. Gottl. Scheitemantel's Beiträge zur Arzneykunde.
Erste Abth. Pag. 250.

somnus inquietus, insomniis terrificis, pavoribus turbatus, cum ipso incubo (*Stoll*) concussionibus et stri-dore dentium; aut somnus gravis, sed nunquam reficiens, et nonnunquam cum respirio profundo, difficile aut stertoroso conjunctus; agrypnia; insolitus capitidis dolor, praecipue in senibus (*Canstatt*¹⁾); capitidis gravedo, temulentia ac vertigo cum timore labendi et ipso lapsu; dolores in toto capite, vel cephalaea semilateralis; sensatio plenitudinis, pressionis capitidis, vel pulsationum vasorum, vel frigoris cuiusdam glacialis (*Tissot*); functionum mentalium imminutio, praecipue celerior dictorum, scriptorum oblivio, memoria et reminiscencia debilis, lapsus ingenii aciei, ac sagacitatis insignis, et horum loco stupiditas, hebetudo, non raro plenaria amnesia; in aliis praecedit: animae praesentiae sensuumque activitatis suspensio (imminens lipothymia) transitoria, ad mentis lucubrationes inhabilitas; raro agilitas quaedam morbosa mentis atque animi; angor et anxietas interna; actiones peragendas confundunt; facies per paucorum minutorum spatum summe variabilis, mox rubra, inflata, mox pallida, collapsa, aut coerulescens, una cum livida sclerotica; orificio narium pruriunt, sicca, vel adest stillicidium e naribus muco-so-serosum, vel epistaxis; sensus pressionis ad radicem nasi cum sternutatione effreni; functio visus et auditus turbata, lacrimatio involuntaria, oculi interdum rubentes, prominentes, fulgore insolito splendentes, palpebrae lapsus, convulsio vel oedema, albuginea sanguine suffusa, visus aberrationes diversi generis: chrupsia, photopsia, diplopia, macularum, muscarum, scintillarumque obvolitatio, amblyopia, nonnunquam visus repente aboletur (*Morgagni*); in aliis oculi adpa-

¹⁾ E. Canstatt, Krankheiten des höhern Alters. Erlangen 1839.
Bd. II. S. 14.

rent collapsi, turbidi, splendore omni privati; aurium tinnitus, susurrus, vel bombus, oxyecoia, baryecoia, imo surditas perfecta, jam ante, jam post insultum; venae in capite, praesertim in fronte turgent, sic etiam venae jugulares; carotidum et arteriarum temporalium pulsatio fortis, visibilis; singulorum muscularum faciei motus tremulus, labiorumque, hinc alteruter angulus oris distractus (*N. Thomanⁿ*¹⁾); masticatio frustranea; labia sublivida, sicca, vel pallida; linguae gravitas, torpor, balbuties, impotentia quaedam verba rite pronunciandi, aut ea, quae rite cogitata sunt, verbis aptis designandi, stridor dentium praesertim sub somno; spasmī varii generis, dyspepsia, cardialgia, nausea, vomituritio et vomitus, praesertim capite moto, materiam biliosam ejiciens; oscitatio crebra; singultus; deglutitio impedita; suspiria frequentia; tussis plerumque sicca, respiratio difficultis, non citata; non raro cardiopalmus; pulsus radialis latus, durus, tensus, irregularis; calor capitis plerumque aductus; cutis plerumque frigida, sicca, pallida, saepe pruritus totius corporis aduersatur; urina parca, mictus difficultis, aut urinae et alvi sine alia causa diuturnior retentio aut involuntaria excretio; dolor tensivus ex occipite per vertebrales cervicis descendens, columnae vertebralis et trunci incurvatio paulatim aucta; membrorum alterutrius imprimis lateris pondus, dedolatio, stupor aut formicatio, tremor artuum, tendinum subsultus, cita defatigatio, animi deliquia, incessus capite antrorum inclinato titubans, vacillans, ac si pedes rependo trahentur, ulcerum antiquorum exsiccatio spontanea, impetiginum consuetarum fuga, sudoris axillaris pedumque cessatio. — Quandoque convulsiones hystericae, hypo-

¹⁾ Einige Gedanken über den Schlagfluss, von N. Thomanⁿ, in Röschlaub's Journal der theoretischen und praktischen Heilkunde. Bd. V. S. 41.

chondriacae, saepe remittentes, sed iterum vehementiores praecedere solent ¹⁾.

Duratio horum prodromorum utique determinari nequit, nunc paucas tantum horas, nunc per menses, imo annos insultum praecedunt, nunc omnino desiderantur. Paulo priusquam apoplexia invadat, signa prodroma incrementum capere solent. Quo major series symptomatum enumeratorum aegrum quatit, eo periculosior hostis intrans extimescendus et praenuntiandus, nunquam vilipendendus, sed statim rite tractandus, nam dolorosus hostis mox subito intrat et nos ad arma fortissima clamare jubet.

Stadium secundum sive Insultus apoplecticus.

His praegressis, inter sermones, comessationes, in publico versantem, maxime tamen medio sub somno (hoc tempore major sanguinis adfluxus ad cerebrum intercedit), morbi insultus coelesti quasi ictu percussum prosternit hominem, qui, aut statim conscientia omni privatus, trunci ad instar humi decumbit, cum motu voluntario abolito relaxatione muscularum aut sphincterum; aut nonnunquam ante lapsum loquela fit tarda, balbutiens, conscientia aboleri incipit, visus obfuscatur, dein frangitur, palpebrae mox aperiuntur, mox convulsive distrahuntur, musculi faciei tremunt aut convelluntur, oculi et caput distorquentur, facies pallescit, effluunt ex ore guttulae aliquot salivae, cor valide pulsat, manibus mox caput, lingua, mox regio cordis vel abdomen vel genitalia tanguntur, ingressus titubans, denegatus, pulsus fit parvus suppressus, et cum conscientiae et motus abolitione concidit; — aut nonnisi

¹⁾ Einer meiner Patienten klagte, ausser mehrerer obgenannten Symptome, beständig über Nebelsehen, über das Gefühl von Schrauben im Kopfe, als wenn man ihm den Kopf zusammenschraubte, oder als wenn man ihm den Kopf zusammenschnürte.

angore insolito captus corruit, et de gravi capitum dolore, debili conscientia, motuque hebete conquerentem audimus, si insultus apoplecticus levioris fuit gradus.

Praeter nunc adducta sub insultu apoplectico sequentia occurunt phaenomena: facies admodum rubra, livida, lata, praeter naturam calida, ac turgida, nunc exsanguis quasi, pallida, collapsa et angustata; sudore frigido madida, atque a statu normali multum differens conspicitur. Oculi mox clausi, mox aperti, languidi, vitrei, distorquentur, conjunctiva bulbi sanguine suffusa, pupillaque mox contracta, mox dilatata, mox nullo stimulo ad motum concitanda, musculus oculorum, unus vel alter eorum, paralyticus evadit, inde in reconvalescentibus variae strabismi species. Habitus totus est inflatus et rubicundus, vel pallidus; aeger profunde dormientis instar tarde respirat, ronchos dicit, nonnunquam stertens (stertor apoplecticus), ore hiante, spuma repleto, ut plurimum obliquo; labia oris et lingua vel pallida, vel livida, rubra tumidaque; maxilla inferior deorsum pendet; ad orificia narium adparet spuma; venae jugulares omnesque faciei turgent; carotides et arteriae temporales fortiter vibrant. Adest plenaria sensuum et motuum abolitio, superstite lenta respiratione et circulatione. Musculi faciei, lingua et serius musculi respiratorii paralytice adficiuntur. Pulsus cordis et arteriarum frequenter plenus, magnus, fortis et latus, vel frequentiae normalis, interdum ipso naturali fortior, alias tensus, durus, frequens; jam vero parvus, mollis, debilis, tardus, aut plane intermittens; in malo conclamato pulsus quam frequentissimus, inordinatus, intermittens, nonnunquam vix tangendus. Respiratio secundum vim et frequentiam pulsui correspondet: si pulsus latus et fortis, tum respiratio profunda, tarda et stertorosa; si pulsus debilis et frequens, tum respirum acceleratum, minus laboriosum, et non sonorum; quandoque respiratio prorsus naturalis observatur. Non-

nunquam adest cardiopalmus vehemens, praecipue, si pulsus radialis plenus, durus, tardus (*Haase*). Suspiria profunda frequentia nunquam desunt. Abdomen utplurimum collapsum, insensile; urina alvusque citra voluntatem mittitur, sphincteres resoluti; extremitates multum relaxatae, frigore marmoreo tectae; paralyses quandoque unius cum convulsionibus alterius lateris; thermopoësis in genere imminuta; partes singulae superficiei externae, uti: facies et imprimis frons, collium, pectus, vel universa cutis sudore gelido, viscidoque perfusa. Nonnunquam apparent vibices aut maculae ¹⁾ decolores, gangraenescentes in diversis corporis partibus, velut in typho gravissimo; interdum sanguis resolutus, roseus, alias coccineus ex ore, naribus, auribus promanat, letheis obruitur undis, quod subinde eodem temporis momento accidit, quo crudelis hicce morbus ae grum invasit.

Gradum ceteroquin morbi diversum et symptomatum morbosorum modificationem multifariam esse, ut in omnibus aliis affectionibus morbosis, pro diversitate dispositionis, constitutionis, habitus, temperamenti, aetatis; pro majori minorive vehementia et causae excitantis qualitate, facile liquet; sic conscientia adhuc perdurare, motusque voluntarius concessus esse potest etc. sic in apoplexia sanguinea, utut genuina, colore, cutis pallidum et lividum, pulsumque valde debilem vix tangendum, praesertim sub primo insultus introitu observari, *Morgagni* jam testatur.

§. 4. Duratio insultus apoplectici.

Duratio insultus apoplectici summe varia. Saepe primo insultus momento mors intrat; nonnunquam post horam dimidiā,— uti in una femina observavi (vide in-

¹⁾ Joh. Seryat. Deutremont. Diss. de perpetuis materiae organicae animalis vicissitudinibus. Halae, 1808.

ferius), — post aliquot horas lethaliter finit; non raro protrahitur sopor per aliquot nychthemera, sub quo valde tristis exitus extimescendus, praecipue, si post viginti quatuor horas remissio notabilis non intrat, quod mihi in Rev. Dom. J. Pletz (vide inferius) observare licuit. In illis casibus, ubi apoplexia ex haemorrhagia vasorum cerebri exorta, et praecipue ubi ventriculi basisque cerebri sanguine obruuntur, mors cito scenam tristissimam cito claudit; ubi exsudatum haemorrhagicum leve, exitus varius, de quo inferius.

Gravis insultus in genere summopere periculosus, leviori insultu aeger decumbens, symptomata superius enumerata mitiora prae se fert; in utroque casu, rarius in priore, frequentius in posteriore contingit artis medicae ope, justo tempore et congrue adhibita, aegrum sine illis malis subsequis pristinae sanitati restituere.

§. 5. Terminationes Apoplexiae.

Prouti omnes reliqui morbi, ita etiam ille, de quo nobis est sermo, triplicem agnoscit terminationem: in sanitatem, in alios morbos, aut in mortem.

a) Terminatio in plenariam valet undinam secundam, quae quamquam optatissima, ita proh dolor! rarissima est. Exspectari potest optatissimus hic exitus, ubi gradus morbi levior est, causaeque morbi excitantes, cuiusvis demum sint generis, cito solliciterque removentur. Redeunte sanitate, vix non semper morbo associatur febris, cui apoplexia cedit; vel sequuntur evacuationes criticae: sudores largi universales, calidi, vaporosi, urina sedimentum depo-nens rubrum, furfuraceum, aut crystallinum, albicans, vomitus aut diarrhoea indolis criticae, praesertim, si morbus adductus ex opplateone ventriculi per spirituosa, nutrimenta copiosa; profluvia etiam cruenta, praesertim, ubi suppressio haemorrhoidum aut catameniorum in causa fuit; epistaxis; vel redeunt morbi cutanei sup-

pressi. Artis auxilio congestiones absque mora dissipantur, stases et alia circuli impedimenta removentur. Sub recta adhibita therapia, influxu noxio quovis novo sedulo evitato et moliminibus naturae, organa affecta ad functiones suas normales sensim sensimque redeunt, conscientia motusque voluntarius revertuntur, memoria reviviscit, ingenium increscit, loquela fit expeditior, facies componitur, visus fit normalis, auditus non gravis, respiratio, pulsus cordis et arteriarum fit liberior; in extremitatibus ab initio sensus formicationis percipitur, serius in his et quidem prius in superioribus quam in inferioribus, in palpebris et in reliquis partibus motus omnes resuscitantur; motus spastici, convulsiones silent; sphincteres functiones suas rite peragunt, se et excretiones omnes ex norma procedunt.

Monendum tamen, quod status convalescentiae valde tarde procedit, omniumque fere corporis partium functiones rite peraguntur, donec apparatus motorius pristinam firmitatem est adeptus, quod nobis in una aegra in divisione cel. Cons. *Seeburger* adhuc observare licet. Saepe remanet paralytica muscularum affectione in eodem tenore usque ad mortem, quae semper emaciationem membra paralytici secum dicit. *Van Swieten* dicit: „Omnium pessimum signum est, si pars paralytica simul fit atrophica, tunc enim denotat, nihil humoris nutritii adferri ad partem amplius, ideoque sensim lento marasmo contabescere.“ Rarissime atque in felicissimo casu paralysis perfecte evanescit. Sub paralyseos decremento, si plures simul partes occupatae fuerunt, certus ordo quoad tempus observatur, ita, ut prius lingua, dein facies, tunc labia, postea extremitates superiores et demum inferiores ad statum redeant normalem. Extremitates inferiores rarissime, in casibus licet felicissimis, pristinum nanciscuntur vigorem, et per longam adhuc tempus imbecillitas quaedam et ingressus difficilis remanent. Secundum cel. *Nobi-*

*lem de Raimann*¹⁾) sanitatis redeuntis praenuntii in partibus paralyticis sunt: „formicationis, titillationis, aut vellicationis, puncturarum nonnunquam fortiorum imo dolorum in membro paralytico sensatio; succussions electricis analogae, convulsiones leves; aliqua motus facultas per vices manifesta; calor, elasticitas et transpiratio restitutae; quandoque eruptio cutanea; pulsuum magnitudo et vigor incrementantes.“ — In parte paralytica semper prius sensilitas, dein functio motus redire solet. — In nonnullis casibus paralysis iterum decrescit, et quidem nunc celeriori, nunc lentiori passu, quin tamen membrum paralyticum pristinum adipiscatur vigorem.

Si autem sanitas perfecta non rediverit, tum semper remanet fere per reliquum vitae tempus aliqua hebetudo sensuum in- et externorum, totiusque corporis, sensus flammae ante oculos, loquela tarda, balbutiens, motus artuum languidus, tremores, extremitatum paralyses leves non resolutae, respiratio tarda, memoria, conscientia, vis ingenii nec non corporis debiles, aeger fit piger, debilis, timidus et valde ad novum insultum proclivis, qui ipsum aut de medio tollit, aut corpus ejus atque animam ita debilitat, ut in summo gradu exhaustum in verum statum soporosum concidat. — Ceterum apoplexia offert eximum nisum, insultum, quem semel fecit, reiterandi, praesertim non amota, aut semper de novo provocata, causa remota.

b) In alios morbos frequentissima est terminatio quidem dupli ratione.

a) Major nempe, quam par est, reactio tum universalis, tum topica, quae interdum exoritur, novum ciere potest morbum secundarium, statum inducens cerebri aut meningum mere phlogisticum, varia in- et ex-

1) J. N. Nobilis *de Raimann. Principia Pathologiae ac Therapiae specialis medicae. Tom. II. Pag. 508.*

tensione; observatus quoque harum partium inflammationis exitus, sic visa sunt ulcera cerebri, meningum, colluvies purulenta in ventriculis cerebri, glandula pinealis tumida, pure plena, etc.

β) ipso morbo pro parte fugato labes functionum vitae animalis, qua postuma, remanere solent. Huc spectant:

αα) Quoad apparatus motorium:

Paralyses singularum vel complurium simul partium, saepissime autem superiorum et inferiorum, ubi hae partes ab initio tumescunt, marcessunt deintemoris progressu, perstante adhucum aliquantula sensibilitate in ipsis. Saepe intrat Paraplegia, nempe omne corpus excepto capite paralysi plectitur; saepe adest Paraplexia sive paralysis artuum universalis; saepe dimidiae corporis partis paralysis sive Hemiplegia observatur, ubi nempe omnes, quae huic lateri respondent, partes paralytiae fiunt, indeque facies admodum defiguratur. Nonnunquam (in casu scilicet graviori) musculo buccinatorio resoluto, illud comparet phaenomenon, cuius, sub nomine „fumer la pipe“ medici gallici faciunt mentionem, ubi nempe sub quavis inspiratione os inflatur, aëre que cum strepitu quodam expellitur. Aut remanet paralysis linguae (Glossoplegia, glossolysis), hinc loquela intellectu difficilis, lenta, balbutiens, majorique gradu aphonia ipsa; masticatio impedita, salivae profluvium continuum, saporis defectus, linguaeque ex ore prolapsus (Glossocoele) originem agnoscent. Interdum unilateralis tantum linguae paralysis obvenit, quo in casu sub quavis ejus porrectione apex ad unum vel alterum corporis latus, jam ad sanum, jam morbosum vergit. Aliud loquelae vitium, haud raro observatum, quo nempe fit, ut aegri aliud

pronunciarent vocabulum, quam pronunciatum vult mens, facultatum intellectualium potius alienationi, quam linguae paralysi est adscribendum. Contingit palpebrarum paralysis, et quidem frequentius superiorum (*Blepharoptosis paralytica*), aut totius musculi orbicularis (*Lagophthalmus paralyticus*); ex qua ob irritationem continua m ophthalmitis procreatur, tandemque ipsius nervi optici et retinae, quam tristis amblyopia, amaurosis excipit. Sequitur nonnunquam paralysis muscularum colli et illorum, qui deglutitioni inserviunt (*Dysphagia paralytica*), ut haec valde difficilis vel penitus impedita reddatur, adeo, ut aeger, nisi artificialis nutritio suscipi possit, in summo periculo, fami atrocissimae succumbendi, versetur. Saepe etiam sphincteres vesicae urinariae et ani paralytice adficiuntur, unde iterum mala alia, uti: dysuria, ischuria, incontinentia urinae, alvi obstipatio pertinax, obstructions viscerum abdominalium, cachexiae diversae oriuntur. — Paralyses organorum pro diversis functionibus diversas excipere turbas, facile perspicitur.

Convulsiones et spasti etiam sequelas hujus morbi atrocis sistere possunt; hinc in variis organis motoriis tremores singularum partium aut totius corporis, palpebrarum, muscularum bulbi, luscitas, strabismus, muscularum faciei, risus sardonicus, trismus, etc. conspiciuntur. — Apoplexiā per superaccidentem epilepsiam solitam observavit *C. Burdach*.

ββ. Quoad sensus internos functio cerebri varia ratione alteratur, sive unius alteriusve animae facultatis, vel plurium simul labes subsequitur; sic cel. *Platnerus* post praegressam apoplexiā memoriae debilitatem, aut plenariam ejus abolitio-

nem remansisse testatur¹⁾; *Malpighius* apoplexiam perpessus, non memoriae solum, sed rationis quoque labem retinuit. Unus ex meis aegris apoplexiā gradus levioris perpessus, medio sub sermone repente obliviscitur, quid loquutus sit, statimque de nova longe alia re, de qua non fuit sermo, loqui incipit. Non raro rerum magna obli-
vio, caducitas mentis, idiotismus, stupor, amentia, deliria, mania, melancholia aliaque remanent.

γγ. Quoad sensus externos, amblyopia, amaurosis, baryecoria, surditas, variae alienationes gustus et olfactus, qua mala postuma apoplexiae saepe obveniunt.

δδ. Vel intrant febres cum charactere diverso, non raro in lentas et hecticas abeuntes.

εε. In mortem transit apoplexia vel directa ratione, sublato communi illo vinculo, quo cuncta systemata inter se uniuntur, vel indirecta, per postuma immedicabilia modo adducta, ad quae adhuc referenda, emollitio cerebri apoplectica, exsudatum copiosum serosum, lymphaticum, aut extravasatum sanguineum, inflammatio substantiae cerebri, meningum, vel cava cerebri obvestientis membranae.

§. 6. Differentiae a morbis analogis.

Quoniam multi sunt morbi, qui adjunctam habent sensuum hebetudinem et torporem, qui sub decursu suo analogum apoplexiae statum moliuntur, aut protinus sub schemate illius comparent, hinc juvabit, ut ab illis apoplexia distinguatur, imprimis, cum ad therapiam adhibendam res est summi valoris. Breviter, *hemiplegia* est symptoma characteristicum, quae nullam sinit commutationem cum aliis morbis, ad summum tantum

¹⁾ Scripta de vi corporis in memoriam, Pag. 1. §. II.

eum, in laesiorum externarum causam, exorto exsudato sanguineo. Liceat tamen et specialius morbos eorumque momenta distinguentia adducere. Finitimae itaque adfectiones sunt:

1. **C a r u s**, seu apoplexia minor aliorum, apoplexia sanguinea levior, sopore minus alto, placida, tacitaque respiratione ab apoplexia exquisita discrepat. Caro obruti, puncti succussi, vel clamoribus excitati, oculos aperiunt, ad interrogata, licet non congrue, tamen respondent; contra apoplectici puncti, concussi, adusti motu et sensu carent, perpetui somni imaginem praeseferunt. Aeger hoc soporis genere detentus, dormit oculis semiclausis, cum receptivitate ad stimulos exigua, hinc, etsi aegre, tamen excitabilis; sub apoplexia hoc non contingit. **C a r u s** non in morbum chronicum aliud, diuturnum, non in paralysim, sed in perfectam sanitatem abire solet, ita, ut ne sui quidem vestigium relinquat. **H i c C a r u s** in ebriis saepe contingit, ubi ebrietas contermina evadit apoplexiae sanguineae.

2. **C o m a s o m n o l e n t u m**, sive **C a t a p h o r a** (**Schlummersucht**), sopor adhuc minus altus est, quam carus, interrogatione aut alio modo facile discutiendus. Aeger excitatus ad interrogata bene respondet, oculos aperit, movet se, et illico in somnum illabitur, sub quo libere et quiete respirat. **C o m a v i g i l** adhuc minus cum apoplexia commutatur, nam aegrum somnolentia insuperabilis in somnum continuo rapit, adfectione tamen quadam morbosa continuo aut insomniis terrificis perpetuo exagitatur, aut strepitu quodam resuscitatur, ita, ut somnum inter et vigiliam perpetuo fluctuet; ille scit de statu suo, assignat sedem morbi, ejulat et iterum obdormit. De his *Galenus* ita dicit: „Aegroti vigiles sese circumvolvunt, nec obdormiunt, sed mentis imaginibus gravantur.“

3. **L e t h a r g u s** (die **Schlafsucht**), gradus minor **C a r i**, est somnus profundus, cum summa earum,

quae circa aegrum aguntur, oblivione conjunctus, talis tamen, ut eo detentus facile excitari, et ad interrogata quamvis non clare respondere valeat. Signa lethargi sunt: Aeger sopore obrutus ore hiante, excitatus, oscitatur, de capitis gravitate aut dolore conqueritur, in summa omnium rerum, etiam proximarum et paulo ante gestarum, oblivione versatur, aut non respondet, aut confuse, aut delirat; oculos semiclausos, languidos, turbidos aut rubentes vix aperit, distorquet, vultu fixo objecta figit, palpebras claudit et obdormit; facies nonnunquam rubet, sed non alterata; color totius superficie corporis pallidus, aut in lividum vergens; sudor frigidus tegit corpus; artus tremunt; pulsus radialis mollis, saepe magnus et tardus, inaequalis, per vices intermittens, quandoque unduosus; respiratio rara et debilis.

4. *Cathypnia*, seu somnus profundus sanorum, laboribus diuturnis et mentis intentione defatigatorum, uti et puerorum; color faciei, respiratio et pulsus sub tali somno naturales sunt, palpebrae fere clausae, conspurcatio vix ulla, extremitates non paralytiae, quies membrorum. Homo facile e somno excitatur, bulbus oculi suetum splendorem habet, et sese libere movet. Ut tamen errores evitemus rectumque judicium feramus de somno profundo et apoplexia, adtendendum sit, monente *Macbridio*, ad hominis habitum, causas praegressas v. g. vigilias protractas, fatigationem insignem, et juxta *Swieten* ad id praeprimis, quod stimulo valido dormiens excitari possit; non autem apoplecticus.

5. *Cataphora magnetica* (*magnetischer Schlaf*), non est sopor; neque conscientia, neque sensuum et motuum functio turbatur: est status, somno naturali maxime affinis, qui subjectum ita occupat, ut, cum oculi penitus clausi essent, ad omnia interrogata, medici magnetici solum, respondeat. Somnians quiete decumbit, sermonem dicit altam, non raro ingeniosam,

manibus, ubi opus, agitat; pulsus normalis, vel quidquam retardatus, respiratio placida, calor cutis normalis. Hic status per aliquot minuta durat, raro quadrantem et ultra horae partem excedit. Sub evigilatione cephalaea, vertigo, lassitudo adcausatur, frequentissime autem recreatio virium, statusque corporis levis suavisque laudatur.

6. **Typhomania** (die wachende Schlafsucht), symptoma febrium ominosum, apparentem nonnisi soporem sistit, cum pervigilio reali. Somnolentia hac, adlocutione, aut visionibus spectris, aegro ipsi apparentibus, abacta, desipit aeger.

7. Non raro contingit, homines in summo gradu ebrios a medicis apoplecticos haberi, praecipue, si ebrii humi decumbunt, ubi sensus in- et externi aboliti, perceptio fere aut plane nulla adest, facies rubra et turgida, lingua balbutiens. — Ast in ebrietate non adest paralysis, neque hemiplegia, et dum ebrii in somno profundiori jacent, murmurant; pupilla est dilatata, sed erga lucem non insensilis; si extremitates irritantur, punguntur, tum sensus doloris per motum artuum assignatur. Aëris exspirati odor spirituosus, vomitus spirituosorum et materiae ingestae saepe subsequens; praeterea frequentia major pulsus, et ebrietati consuetim deficiens respiratio sterterosa diagnosim multum revelant. Ceterum ebrietas non semper sub forma soporis, saepius sub statu contrario apparet — puto sub pervigiliis. Ebrius postquam edormiverat crapulam, perfecta denuo gaudet valetudine. Hoc adhuc addendum, quod summa ebrietas non raro in apoplexiā veram transiisse visa sit. — Non raro tamen ebrietatis status ita explicatus, ut veram apoplexiā simulet. Hoc dubio in casu therapia contra apoplexiā instituenda, quae ebrio, sed non apoplectico, nunquam multum nocebit; e contra autem ebrio, apoplexia detento, per

therapiam neglectam, aut rude tractamen, summum damnum adduceretur (*Kreysig*).

8. **A s p h y x i a**, sub hac semper primitive functionum pulmonum turbatio intrat, facies pallet, corpus friget, pulsus vim suam ammittit aut plane disparet, respiratio fere deficit, functiones vitae vegetativae abolitae; e contra in apoplexia primitive functio cerebri turbatur, pulsus de regula plenior fortiorque normali, licet hic plurimae varietates occurrere possint, functiones vitae vegetativae retardatae; differt itaque asphyxia ab apoplexia per omnium vitae phaenomenorum interceptionem, utpote respirationis et pulsus unacum sensu et motu, perstante adhuc vivendi facultate (statum habitu suo externo morti verae simillimum), hic status morti nimirum proximus etiam in summo apoplexiae gradu obvenit, hinc distinctio stricta interdum vix possibilis, nisi ad anamnestica, quae a circumstantibus expiscari debent, confugiamus.

9. **S y n c o p e**, in hac facies semper pallida, pulsus vix tangendi, respiratio fere deficit, extremitates algent, sudore frigido suffusae, hemiplegia deficit.

10. **I n c u b u s** (*Alpdrücken*), qui somnum exhibet a plethora aut oneratione stomachi talem, in quo aeger sibi conscius malum, quo premitur, non reale, sed imaginarium esse obscure novit, ad motus voluntarios exequendos omnino impotens. Corripit nonnisi dormientes sub anxiō pressionis fortis et instantis suffocationis sensu; functio respirationis non semper laesa, pulsusque normaliter micat. Evigilanti anxietas haec illico disparet.

11. **A b E p i l e p s i a** differt apoplexia, quod corpus universale motibus insolitis et irregularibus non obdiat, extremitates sunt spastice contractae, in apoplexia relaxatae, paralyticæ; ferro candenti cuti epilepticorum applicito hi convelluntur, quod in apoplecticis desideratur. Respiratio in epilepsia accelerata, spasti-

ca, irregularis, in apoplexia languida, sterterosa; insultus epilepticus durat per breve tempus, 10 — 20 minuta, et finit absque malo posthumo, coma apoplecticum autem vehementia tractu temporis increscit.

12. **Catalepsis** remotam quandam cum apoplexia prodit analogiam, sensus et motus voluntarii feratio quidem est; ast artuum interdum cerea flexilitas mira et aptitudo omnes datos situs retinendi, tum mora accessus valde brevis, facies quieta, non alterata, pupilla non dilatata, musculi bulbi quieti, calor animalis normalis, pulsus et respiratio, ut nobis in **Clinico medico Pragensi** observare licuit, ex norma procedentes, notam distinctionis largiuntur.

13. **A Congestionibus** versus enkephalon, seu **Enkephalo-syphoresi** sive **enkephaloplethora** (**enkephalohémie, Pierry**), differt apoplexia per conscientiam, intelligentiam non turbatam, somnolentiam, gravedinem capitis et nisum ad quietem; functiones sensuum externorum parum sunt turbatae; facies, vel non vel parum a sanguine turgente rubra; respiratio et circulatio sanguinis fere normalis invenitur. Topicae sanguinis detractiones a capite, epithemata frigida, non raro solus erectus capitis situs omnem congestionem aufert.

14. **Encephalomalacia.** Proprio autem decursu per hebdomades imo et menses protracto inter se differunt. Praecurrunt cephalaea, vertigo; partialis conscientiae defectus; stupor et formicatio unius alteriusve membra, concussions horum electricae — paulo post artuum succedit paralysis aut dolor acutus; alalia, quin tamen facultates mentales conspicue turbentur; — in ulteriori morbi evolutione partes paralytiae numero increscent, usque dum aeger vel nimia virium exhau-

stione, vel comate per dies extenso, vel febri hectica letheis sopiaatur undis¹⁾.

15. *A p o p l e x i a p u l m o n u m* differt ab apoplexia cerebralī: per faciem lividam cyanicā, auscultationis et percussionis resultata; aegri prospiciunt ac si strangulati forent, spuma sanguinea effluit ex ore, et symptomata paralyseos et hemiplegiae deficiunt; haec ultima duo momenta fere unica distinguentia sunt nominanda, nam observavimus casum in Clinico medico Pragensi (vide inferius), in quo omnia symptomata pro apoplexia pulmonum loquebantur, et tamen aderat, praesente statu paretico extremitatis inferioris dextrae, revera apoplexia cerebralis. Si tamen casus obveniant, in quibus revera apoplexia cerebralis cum pulmonali conjuncta esset, quae conjunctio tantum in rarissimis casibus possibilis, e. gr. praesente fragilitate nimia vasorum cerebri aut horum aneurismatibus, et in pulmonibus praesentibus tuberculis resolutis, et nonnullis ejec- tis, ita, ut vascula nonnulla, ab omni parenchymate orbata, libere ab uno loco in alterum decurrant: nunc accedat causa mechanica, e. g. lapsus ad caput, qui dilace rationem vasorum tum pulmonalium, tum cerebralium pedissequam habet; — si ergo haec fatalis complicatio obvenit, tum nunquam multum sperandum, nam unus morbus gravior altero. Venaesectiones, fomenta glacialia ad caput et pectus, revellentia, et alia lethalem plerumque exitum ad paucas tantum horas procastinare valent.

16. Remotissima similitudo inter *Tetanum* et apoplexiā existit; corruit tamen haec similitudo ex ratione Tetani, qui est spasmus tonicus, aut contrac- tio persistens muscularum voluntariorum cum interval-

¹⁾ J. Abercrombie, Krankheiten des Gehirns und des Rückenmarkes. Aus dem Englischen übersetzt von Gerhard von dem Busch. Bremen 1829. Pag. 354.

lis irregularibus relaxationis partialis, raro totalis, vi-
gente conscientia, pulso raro mutato, alvi urinarumque
excretione contractis sphincteribus cohibita.

17. In Paralysi quidem aequae ac in apople-
xia cessat motus atque subinde etiam sensus partis pa-
ralytiae, circulatione sanguinis in eodem durante. Sed
paralysis partes singulas ferit, a morbo contra immune
relinquit, quod in apoplexia adficitur, cerebrum, or-
ganon sensititatis centrale. Hinc in paralysi perstat
conscientia, perstat in genere sensorii functio, ita, ut
morbus uterque, quoad sedem solummodo et organa ad-
fecta a se invicem differat. Quem igitur statum singulo-
rum nervorum indicat paralysis, eumdem cerebri desig-
nat apoplexia, jure meritoque paralysis capitalis a *Pet-
tro Frank* nuncupata. — Si medicus accersitus, in-
dividuum paralysi affectum vidit, et nescit, an apople-
xia praegressa et ex hac inde paralysis enata, aut an
paralysis primarie adfuit, tum ad anamnestica recurrere
debet, causam excitantem explorat, circumstantes be-
ne examinat, quid cum aegro factum, dein habitus,
vivendi ratio, motusque aegri bene observandus, et
sensilitas per brachiorum vellicationem, punctionem,
titillationem pedum exploranda; respiratio quoque ob-
servanda, an stertorosa, difficilis, levis, gravis, etc.
tum ex juvantibus et nocentibus facile eruat, an para-
lysis, an apoplexia sit praegressa. Cavendum tamen,
ne paralysis unius lateris faciei, sisola sine aliis symp-
tomatibus apoplexiae adest, pro sequela apoplexiae ha-
beatur, nam haec consuetim dependet a morbosa nervi
facialis affectione. Ut itaque omnis error evitetur, in
tali casu semper nervus facialis et status cerebri est
explorandus (*Piorry*¹).

¹) P. A. Piorry, Diagnostik und Semiotik. A. d. Franz. von Dr.
Gust. Krupp. Leipzig und Cassel, 1839. Bd. III.

18. Quae ex mechanicis laesioribus capitis, uti: vulneribus, simplici contusione, compressione cerebri partiali, per impressas ossium craniī particulas in cerebrum, extravasata sanguinea symptomata provocant, cum variis apoplexiae formis sunt identifica, et tantum per rationem causarum excitantium ab iis distinguuntur. Hoc valet de statu soporoso pedetentim intrante et provocato per, in evolutione progredientes et crescentes, tumores cysticos, tubercula, et alias excrescentias in cerebro, quae nonnunquam, donec apoplexia intrat aut adhuc frequentius hemiplegia, nullo characteristico signo se manifestant.

19. Post cerebri commotionem circulatio in hoc et influxus illius partis systematis gangliaris, quod pro hoc organo est destinatum, valde deprimitur, symptomataque fere ea omnia inveniuntur, quae in levissima apoplexiae forma, ita, ut in plurimis casibus non possibile sit momentum diagnosticum inter utrumque morbum eruere; attamen et in levissima apoplexiae forma respiratio, si non stertorosa, tamen valde difficilis, facies magis inflata et distorta, pupilla dilatata, pulsus plenus, durus, intermittens; e contra sub commotione cerebri corpus frigidum, respiratio levis, pulsus regularis, facies aegri parum alienata et pupilla frequentius contracta invenitur. Cum vehementibus insultibus apoplectis sequelae commotionis cerebri vix communabuntur, quum morbus uterque symptomatibus suis characteristicis essentialiter ab invicem differat.

20. Si conscientiae abolitio motusque voluntarii amissio per substantiarum narcoticarum efficientiam, aut per noxiorum et corruptorum aerum, uti: acidi carbonici, aeris hydrogenii, aeris ex variis noxiis effluviis evoluti etc., spiritu ductionem provocatur, tum hic status parum discrepat ab illo, qui plurimas apoplexiae formas sequi solet, tantum hoc cum discriminē, quod in illis casibus, quibus inspiratio ga-

sorum noxiorum pro causa subest, pulmones primarie adficiuntur; nam passio principalis sub his circumstantiis cum vis nerveae suppressione, et vasorum actione cohibita in cerebro, est conjuncta, quum exinde circulationis inhibitio et nimia vasorum sanguine atro impletio exoriatur.

§. 7.

Morbi vero praecipui, qui apoplexiae analogum statum sub decursu involvunt, aut illius larvam induunt, sunt sequentes:

1. Hydrocephali acutus: Hunc nimirum morbum comitari solet affectio soporosa, quae per tres aut quatuor dies moratur. Sub hoc intervallo aeger pluries exergefit, tum delirat, aut convellitur oculis semiclausis. Vultus et faciei habitus, qui in vigilante aliquid peregrini, torvi exprimit, in infantibus autem caput amplum, tum strabismus cum habitu hydrocephalico signa differentiae praebent; praeterea in hydrocephalo nonnisi sensim sensimque fit compressio cerebri et malorum inde emergentium evolutio ac incrementum, apoplexiae autem causa et effectus uno eodemque tempore invadunt.

2. Apoplexia, Encephalitidi soporosae, non ex causa mechanica exortae, summe adfinis morbus; ast in illa deficiunt symptomata omnia febrilia, nulla diathesi phlogistica, nullaque caloris augmento stipatur. **Encephalitis comatosa** multa quoque communia habet cum apoplexia ex causis violentis, sed quae praecesserunt: horror, dolor capitis violentus, delirium, et quae morbum comitantur: pulsus frequen-tissimi, aestus summus, spontanea et frequens manus applicatio ad partem capitis affectam, imprimis lucis et soni intolerantia, pro distinctione eminent. Deest morbo etiam illa insignis membrorum resolutio.

3. Febris intermittens comatosa ac-

cessum sub larva apoplexiae sibi vindicat, sed prodit se paroxysmo finito, ubi aeger sudat, urinam mittit cum sedimento lateritio, quae versicolore cuticulo tecta est, aegerque ad speciem usque ad alterius paroxysmi ingressum sanus.

4. *Morbus hystericus* etiam sub decursu agnoscit quandoque paroxysmos insultui apoplectico similes, quem statum auctores *apoplexiā hysterica* vocant. Hic paroxysmus transitorius habet autem id peculiare, quod receptivitas ad sensuum impressiones, licet debilis, tamen nunquam abolita; aegra sibi conscientia sentit, audit novitque ea, quae durante paroxysmo contingunt; stimulo quocumque vellicata, puncta, dolorem percipit; tantum durante paroxysmo motus voluntarios exercere non valet, sed respiratio et pulsus longe aliter se habent, quam sub apoplexia. Ad finem paroxysmi urina larga mingitur quantitate, aut humor viscidus per vaginam utero effluit, quod murmura intestinorum sequi solent; secessus flatuum ructusque magnum et celere inducunt levamen. Facilis denique differentia inter utrumque morbum statuitur, si perpendatur, quod insultui hysterico longe alia symptomata, uti: clavus, globus hystericus, rheumatismus extremorum, urina diaphana, halitus frigidus, horror febrilis aliaque praecedere soleant, quae nunquam aut rarissime sub insultu apoplectico occurrunt.

§. 8. Complicationes Apoplexiae cum aliis morbis.

Stadium frigoris, sive tempus invasionis febris intermittentis apoplexia interdum comitatur; praecipue illarum febrium, quae ex effluviis concentratis, paludosis, mephiticis, aut ex transplantatione miasmatum animalium sunt exortae. Si ad tales febres apoplexia accedit, tum raro cum ipsa aut post finitum apoplecticum insultum paralysis intrat. Insultus apoplecti-

cus revera contingit etiam nonnunquam in stadio depressionis et collapsus virium in febribus adynamicis et typhosis, praecipue in prioribus frequenter, quam in posterioribus; nam hae frequenter comate consociatae, quod raro usque ad insultum apoplecticum adscendit, et si hoc contingit, tum apoplexiā hemiplegia excipit.

Apoplexia non raro occurrit post epilepticas convulsiones, post convulsiones et ekampsiam parturientium, sub ipso partu et in ultimis mensibus graviditatis. Non raro phlogoses cerebri ejusque meningum apoplexiā terminantur, et ideo saepe suspicari possumus, quod apoplexiae phlogosis illius partis cerebri acuta, in qua haemorrhagia exorta, frequenter praecedat. Interdum apoplexia se consociat cum mania et vesania; aut appetet in stadiis altioribus morborum tum acutorum, tum chronicorum tractus aëriformis et ipsorum pulmonum, uti: in tussi convulsiva, asthmate et bronchitiade. Observante cel. *Andral* apoplexia etiam cum pneumonitide lenta, occulta ingreditur.

Saepe incedit apoplexia cum vitiis organicis cordis, praecipue cum hypertrophia ventriculi cordis sinistri ¹⁾). Consociationem apoplexiae cum hepatitis morbis jam *Stoll*, *Baldinger*, *Cheyne* etc. assignarunt, et nos quoque observavimus casum, ubi sola hypertrophia hepatis ingens hunc tristissimum exitum provocavit. Circumstantia, quod icterici frequenter apoplectice moriantur, hanc complicationem corroborare sinit, quod etiam nos ex observationibus factis confirmare possumus. Semper morbi hepatis turbas functionum cerebri post se trahunt, et non absonum erit, statuere, quod accumulatio bilis corruptae in cystide fellea et in

1) Vide Necroscopias inferius adductas.

ductibus hepaticis magnam proclivitatem ad apoplexiā inducat. —

Influxus affectionum gastricarum ad gignendam apoplexiā non solum sufficienter ex ebrietate, oppletione ventriculi nutrimentis etc., sed etiam ex aliis variis morbis manifestationibus, quae impedimenta aut alias functionum ventriculi et tractus intestinalis turbas indicant, procedit; quod jam observationibus copiosis corroboratum. Ceterum nunquam obliviscendum, quod multa gastrica insultum apoplecticum comitantia symptomata, uti: nausea, ructus, vomitritio, vomitus, gastrodynia, tortina ventris etc., tamquam per commotionem aut laesionem cerebri in ventriculo provocati effectus sympathici considerandi sunt.

Secundum *Hagedorn* et *Cheyne* obvenit apoplexia partim sub, partim post insultus colicae pictorum. Etiamsi paralysis consuetum exitum et complicationem hujus morbi format, saepe tamen apoplexia cum his conjuncta occurrit. Etiam cum morbis renum, sec. *Bonnet*, *Littre*, *Morgagni* et *Bright*, apoplexia conjuncta observata; non raro sequitur apoplexia, in specie serosa, post urinae suppressionem.

§. 9. Divisio apoplexiae multiplex est.

Quoad gradum atque intensionem morbi jam *Hippocrates* dividere consuevit apoplexiā in fortē et levē; quae divisio licet ad meliorem diagnosim nil, ad prognosim tamen plurimum conferre videtur. Dicit enim immortalis ille vir (*Aphor. 42. Sectio II.*): Solvere apoplexiā vehementem quidem impossibile, debilem vero non facile. (*Λύειν ἐποπληξίην, χυρήν μεν ἀδύνατον ἀδένεα δε οὐρηθίουν*). Post Hippocratem Antiqui distinxerunt apoplexiā in levē et gravē, malignā, cerebralem, consensualem, totalem, partialem, hysteri-
cam, hypochondriacā et verminosā. *Galen* apo-

plexiae gradus sunt quatuor: levissimus, levis, validus, validissimus. Meliora divisionis argumenta primum *Morgagnio* debemus, qui diligentι cadaverum sectione edoctus sanguineam et serosam proposuit.

L. B. de Sauvage secundum momenta causalia quindecim species distinguit: apoplexiam sanguineam *Senerti*; traumaticam vel phlegmonosam *Forresti*; temulentam *Heersii*; hysterica *Sydenhami*; arthriticam *Musgravii*; metastaticam vel scorbuticam *Maneti*; pituitosam *Senerti*; epilepticam *Lancisi*; verminosam *Grandvilliersi*; mephyticam *Mezerey*; inflammatoriam *van Swieten*; polyposam *Morgagnii*; suspriosam *Cussonii*; febricosam *Werlhofii*; periodicam *Preysingerii*.

Cullen distinxit apoplexiam modo cum, modo sine compressione, priorem ex causis mechanicis, alteram ex dynamicis derivans. — *Nicolai*: priorem apoplexiā ex compressione ortam subdivisit in illam, quae a sanguinis congestione in encephalum, vel ejus effusione fit, et alteram, quae ab alia materia fluida cerebrum inundante producitur, et huic speciei inserit apoplexiā lacteam, urinosam, purulentam, vel suppressis diversis excretionibus, nec non localibus viitiis, in crānio steatomatibus, vasorum ossificationibus, calculis in cerebro, tumoribus variis, exostosibus etc. exortam. Apoplexia absque compressione nervosa dicta, est vel cum materia, et quidem vel in corpore ipso genita, vel externe applicata et ingesta, quo venena varia et halitus venenati referendi; vel est sine materia, uti: vehementiores animi affectus, commotio cerebri etc.

Praeterea quoad materiam morbum producentem distinguitur apoplexia sanguinea seu calida et apoplexia serosa, seu pituitosa vel etiam frigida. — Sanguinea dicitur, ubi sanguis comparet in dilatatis cerebri vasis aut in cerebrum effusus sive fluidus sive congrumatus; oritur ergo a sanguine majori quantitate ad encephalon

ad pulso. — Serosam nominarunt, ubi serum alterutro modo collectum occurrit; non ex simplici congestione, sed ab extravasato extra alveolos per nimias reactiones vasorum capillarium aut plerumque per eorum laxitatem oritur, quod extravasatum vel inter meninges vel in cameris cerebralibus contingit. *Quarin* existimat, illam divisionem in praxi sufficere.

C. P. Frank assumit apoplexiā: ex vitio organico aut locali, a paralysi, exque universae constitutionis culpa, cum majori capitis affectione conjuncta, et quidem vel hypersthenia vel asthenia exortam, quae ultima nervosa quibusdam dicitur, atque hystericas, hypochondriacos, literatos saepe opprimit, cum nec serum, nec sanguinem in calvaria offerat, aliaque medendi methodo indigeat.

*Sprengel*¹⁾ dividit apoplexiā: in nervosam, consensualem et humoralem, sub qua apoplexiā serosam et sanguineam intelligit, dicens: differentiam inter apoplexiā serosam et sanguineam, quam plures statuerunt, nullius esse momenti, cadaverum saltem sectionibus haudquaquam confirmari.

Systematis *Browniani* asseclae proposuerunt apoplexiā sthenicā et asthenicā. — *Selle* describit apoplexiā sanguineam, gastricam et malignam.

*Henke*²⁾ apoplexiā in duo genera cardinalia dividit; 1. in apoplexiā a causis localibus: vulneribus capitis, contusionibus, extravasatis, ulceribus, indurationibus aliisque vitiis organicis cerebri; 2. in apoplexiā a causis dynamicis, effectum universalem exserentibus, ortam, quam in hypersthenicā et asthenicā subdividit.

Haase omnem apoplexiā ad sanguineam sive plethoricā et nervosam sive immateriale reducit, sic

¹⁾ *Sprengel's Handbuch der Pathologie.* B. 3. pag. 198.

²⁾ *Henke's Handbuch der speciellen Pathologie.* B. 2.

dictam serosam et consensualem ad sanguineam referens.

Richter apoplexiā dividit 1. in cerebralem, 2. in spinalem et 3. in abdominalem, prouti sensitatis principium vel in cerebro ipso, vel in medulla spinali, vel in gangliis et plexibus nervosis abdominis vigens exhauritur; ceterum concedit, quamlibet harum specierum charactere apoplexiae sanguineae, serosae aut nervosae stipari posse.

Cel. de *Hildenbrand* practicam divisionem sequens, apoplexiae duas species assignat, nimirum: nervosam unam, humoralem alteram, quam derivat a sanguinis circulo vel aducto, vel imminuto, quare humoralem in sanguineam et serosam subdividit.

Alii dividunt apoplexiā quoad typum in periodicam, quae certis horis aut diebus redire solet, quam vero divisionem assumere non valemus, quum haec periodica apoplexia potius ad febres intermittentes larvatas, sub schemata comatosae, quam ad veras apoplexias, quae nunquam periodice saltant, sit referenda.

Respectu habitu originis apoplexia subdivisa in idiopathicā, simplicem, primariam, et in sympathicā; in priori causa, sedesque causae unacum effectu in uno eodemque loco, nempe in crānio, residet; in altera sedes causae et effectus in diverso corporis loco haeret, vel in thorace vel in abdōmine, effectus vero semper haerebit in crānio.

Quoad numerum aegrorum apoplexia correptorum didivit in: a) epidemicā¹⁾, quae ex causa universalī, late supra populum divulgata, oriens, uno eodemque tempore magnam hominū copiam adgreditur; b) endemicā, quae ex causa, regioni aliqui propria, progerminans, plures huic regioni adstric-

¹⁾ Trautmann, Diss. de Apoplexia epidemica. Göttingen. 1790.

tos incolas infestat; et c) sporadicam, quae ex causa singulari singulum aliquem hominem corripit.

Secundum cel. *Cruveilhier* (Dictionnaire universel de Médecine pratique) consistit essentia apoplexiae in spontanea haemorrhagia cerebri, quae duas species agnoscit. Sub prima specie in medio dilaceratae substantiae cerebri accumulatio seu sanguinis extravasatum, nempe focus haemorrhagicus (foyer sanguin) adest; in secunda specie infiltratio sanguinis in substantiam mollem cerebri contingit. Prima species respondet apoplexiae communiter occurrenti, secunda morbo novissimis temporibus descripto sub nomine emolitionis cerebri (Ramollissement du cerveau), quam Cr. apoplexiam capillarem, haemorrhagiam cerebri capillarem nominat. Exinde divisionem statuit, in apoplexiam capillarem, et in apoplexiam haemorrhagicam (non capillarem), quae uterque aut ex sanguine arterioso, aut venoso inducta est, prouti aut major activitas systematis circulatorii adest, aut accumulatio, stagnatio sanguinis venosi in vasis cerebralibus praecesserat; hinc ulterius subdividit apoplexiā, in *a)* apoplexiā capillarem arteriosam, *b)* apoplexiā cap. venosam, *c)* apopl. haemorrh. arteriosam, et *d)* apopl. haemorrh. venosam, quod in statu vivente non, sub cadaverum sectione tantum ex nimia turgescentia arteriarum aut venarum cerebri, aut ex exsudato sanguinis venosi, vel arteriosi cognoscitur. Distinctio inter apoplexiā capillarem et haemorrhagicam (non capillarem) quoad causas, symptomata et therapiam, si stricte sumatur, fere nulla, existunt tantum nonnullae varietates a se invicem distinguentes.

§. 10. Divisio quoad insultus apoplectici vehementiam.

A. Apoplexia fulminans (apoplexie foudroyante) est apoplexia universalis, perfecta, repente atque vehementissime intrans, ictu quasi percussus re-

pente aeger concidit. Nonnunquam adest spuma ante os, facies livida, musculi voluntarii et artus perfecte relaxati et immobiles, excretiones faecum et urinarum involuntarie inscio aegro contingunt; post pauca momenta aeger animam exspirat cum vel sine stertore aut respiratione stertorosa, sanguinis circulo interrupto et dein cessante; extremitates frigidae et lividae inveniuntur, superficies corporis externa sudore frigido madet, et interdum facies jam cadaverosum prospectum offert.

B. Apoplexia exquisita, Theoplegia, Sideratio, est apoplexia, sed insultus licet gravis, vehementiae multo minoris et mors non statim aut post nonnullas horas, sed saltem post nychthemerum intrat. Haec species magis sub activis atque sthenicis insultus apoplectici formis obvenit. Aeger plus minusve repente profundo sopore corripitur, oculi sunt aperti vel clausi, respirium profundum, lentum, sterterosum, pulsus latus, plenus, durus, vel fortis, nonnunquam irregularis et inaequalis. Haec sunt symptomata praecipua, quum ab initio signa paralyseos deficiunt. Attamen nonnunquam et ab initio insultus apoplectici, sed multo frequentius post aliquot dies, angulus oris distrahitur, oculi distorquentur, palpebra una alterave immobilis, relaxata, sensus motusque alicujus extremitatis, vel unius corporis lateris abolitus; brachium lateris non paralytici rigidum, vel supra pectus, vel ad genitalia jacet. Si morbus sub hac forma intrat, tum saepe adest, licet nonnunquam levis, paralysis vesicae urinariae vel ejus sphincteris, quae Ischuriam, Enuresim, aliaque huc spectantia mala causant. Aeger decumbit consuetim in latus paralyticum, quod flaccidum, immobile et insensile erga stimulos irritantes est; membra lateris oppositi e contra a spasticis contractionibus torquentur.

C. Apoplexia imperfecta, in hac insultus lente et vehementiae exiguae intrat; insultus apoplec-

ticus non totum corpus, sed partem tantum adgreditur et cum in hac actiones animales, nec omnes, nex ex toto aboleantur, spuria aut levior, apoplexia partialis, Paraplegia, Paraplexia, Parapoplexia, Hemiplegia, Epiplegia (unvollständiger Schlagfluss), a pluribus auctoribus nominata. In hac, praegressis nonnullis prodromis, supra adductis, aeger vehementi vertigine, lipothymia vel sensu animi deliquii adpropinquantis corripitur, insimul accedunt nausea et vomitus, uti etiam turbae functionum sensuum externorum, praesertim visus et auditus; memoria non penitus deleta, conscientia pro parte perdata, loquela tarda, balbutiens, dysphagia, motusque voluntarius valde debilis adhuc supersunt; pulsus debilis, irregularis, nonnunquam acceleratus cum plus minusve graviore sopore conjunctus, symptomata hujus apoplexiae essentialia constituunt.

§. 11. Divisio Apoplexiae consecutivae.

Apoplexia potest intrare post morbi cuiusdam evanescentiam subitaneam, et in hujus evanescientiae causa, uti: post haemorrhagiarum habitualium suppressionem, — ut semel vidimus, — post evacuationem variorum humorum cohibitam, aut post retropulsas impetigines; vel apoplexia tali modo appareat, ut concludere debeamus, illam ex morbi prioris evanescencia, uti: in cassibus arthritidis metastaticae, rheumatismi etc., provocatam fuisse; vel apoplexia sese associat qua complicatio aliis morbis, qui ex nulla metastasi proveniunt. De hac specie apoplexiae jam sub §. 8 dictum.

Haec divisio apoplexiae in: *a) consequitivam, b) metastaticam, et c) complicatam*, quoad therapiam summi momenti; nam ex causa rite enucleata, therapia apta instituitur.

Ad *a).* Apoplexia consecutiva exoritur post suppressionem haemorrhagiarum, evacuationum habitualium, impetiginum, ex qua accumulatio humorum

nimia in systemate vasculari, et affluxus sanguinis major versus encephalon adducitur; sic quoque repentina consolidatio ulcerum chronicorum pedum, suppressio sudorum pedum habitualium, suppressio lochiorum, lactis, leucorrhoeae in feminis, vel gonorrhoeae in viris, non raro apoplexiam causant. Frequenter etiam apoplexia post suppressam otorrhoeam et post organorum auris phlogoses, quae ex aure in cerebrum ejusque membranas serpunt, et in suppurationem abeunt, observatur.

Ad b). *Apoplexia metastatica.* Apoplexiam ex anomali atque metastatica arthritide multi auctores observarunt. Sic quoque rheumaticae affectiones, sive metastases rheumatismi in cerebri membranas apoplexiā provocare possunt. Sub sectionibus individuorum, ex metastasi rheumatica emortuorum, inventae membra- nae injectae, incrassatae, et inter has exsudatum sero- sum. Similia symptomata et eadem, quae in rheumatismo, inveniuntur sub cadaverum sectionibus ex erysipelate, a partibus externis ad internas retrogresso, emortuorum. In apoplexia ex metastasi, insultus apoplecticus minus vehemens, quam in apoplexia idiopathica, et paralysis tantum in gradu affectionis cerebri alto intrat.

Nonnulli auctores, inter quos praecipue cel. Stark¹⁾ numerandus, secundum causas occasio- nales, quae apoplexiā provocarunt, dividunt in: Ap. traumaticam, toxicam, sanguinolentam, inflammatoriam, hydrocephalicam, mentalem, catalepticam, temulentam, suffocativam, organicam, metastaticam (arthriticam, scabiosam, lacteam, etc.), gastrica (biliosa, abdominal), febricosa (intermittentem), epileptica, hysterica, ex suppressa transpiratione ortam, ex acrimoniis, etc.

1) Handbuch zur Kenntniss und Heil. d. Krankheit. Thl. 2. p. 301.

§. 12. Divisio Apoplexiae pro praxi summe proficua.

Prima et intuitu practico gravissima apoplexiae distinctio est: *a)* in apoplexiā a virium suppressione et *b)* a vera virium debilitate. Vires autem cerebri tam a sanguine intra cranium congesto aut extravasato, quam ab humoribus serosis, lymphaticis, purulentis, ichorosis, extravasatis, imo a variis cerebri, meningum, ossium cranii vitiis organicis, subito et gradu ad apoplexiā requisito suppressi possunt; et vera earum debilitas aequē ab influxibus debilitantibus et alterantibus, quam generatim directe aut mediante incitatione nimia aut humorum immutatione nocentibus, suam trahere potest originem. Quum ergo nunc humores, nunc affectio quaelibet sphaerae nervosae ad apoplexiae originem contribuunt, sequitur divisio in apoplexiā:

- I. Sanguineam,**
- II. Serosam, et**
- III. Nervosam.**

Praeter reliqua symptomata in tractatu de Apoplexia speciali assignanda, quae cuilibet speciei convenient, cognoscitur quaelibet apoplexiae species jam ex adspecto habitu corporis externo, nam sub:

I. Apoplexia sanguinea invenimus individua sanguine repleta, plethorica, turgida, torrosa, facie rubra, oculis prominentibus, iride viridi aut brunescenti, capillis profunde bruneis aut nigris, provisa; in genere systema sanguiferum luxurians, ad activas sanguinis congestiones et haemorrhagias valde primum, quod nos ad phlebotomias instituendas facile invitat;

II. In Apoplexia serosa, sive phlegmatica, sive lymphatica dicta, corpus phlegmaticum, plasticum, pallidum, pallide flavicans, iners, obesum, leucophlegmaticum, oculi languidi, quasi vitrei; lubenter

id negotii nobis datum esse credimus, ut se- et excretiones remediis congruis promoveamus.

III. Denique Apoplexia nervosa cognoscitur ex subjecto debili, exhausto, macilento, irritabili, nimium sensibili, hypochondriaco, hysterico, communiter cute tenera, delicatula, capillis pallidis, flavescentibus (blond), rufis, oculis minus prominentibus, sed iride pallida, coerulescente, nervis tenuioribus, imbecillibus, stimuli impatientibus, proviso; quo in casu ad nervina, stimulantia volatilia aliaque configimus.

Haec divisio principalis pro praxi utilissima; quum omnes enim causae, quae apoplexiam moliuntur, huic divisioni commode subordinari queant, et quibus omnes aliae divisiones, in calidam seu febrilem; frigidam seu a febrilem, in idiopathicam, sympatheticam, metastaticam, ex vitiis organicis etc. utut variae dignitatis practicae adeoque attentione admodum dignae sint, subordinanda e veniunt (*Nob. a Raimann*).

Abercrombie, Cruveilhier, Portal credunt, quod experientia et observatio divisionem apoplexiae in sanguineam et serosam non confirmet; nam plures casus, qui effusione serosa terminantur, sub decursu morbi omnia illa symptomata offerunt, quae ap. sanguineae propria sunt, e. gr. faciem rubram, pulsum fortem, constitutionem robustam etc.; e contra in pluribus casibus, in quibus facies pallida, tumida, pulsus debilis adest, revera apoplexia sanguinea intrat, quod etiam necroscopiae edocent; imo affectiones hydropicae, diathesis leucophlegmatica, senectus etc., quae maxime pro effusione serosa loquuntur, tamen non certa data praebent.

Etiamsi tamen opinionem illorum clarorum viorum delere non valemus, sententiam tamen illorum statutam nullomodo confirmare possumus; nam experientiae et observationes clarissimorum virorum *J. N. Nob.*

a Raimann, Fr. Nob. ab Hildenbrand, van Hoven, Consbruch, Hecker, aliorumque edocuerunt, quod re vera apoplexia serosa existat et summopere non tantum in aegro vivente, sed etiam per sectiones cadaverum institutas a sanguinea differat. Adducendae forent ab illis viris causae et circumstantiae, sub quibus in leucophlegmaticis, hydropicis apoplexia sanguinea intravit; nam potest esse habitus corporis debilis, pallidus, leucophlegmaticus, pulsus debilis, senectus etc., accedat tamen laesio mechanica capitis et en! apoplexiam sanguineam.

§. 13.

Ultima denique divisio statuenda esset illa, quae ex complicatione harum trium principalium apoplexiae specierum enascitur, et quidem: in

1. Apoplexiā sanguineo-serosam,
2. " " " nervosam,
3. " " seroso-sanguineam,
4. " " " nervosam,
5. " " nervoso-sanguineam,
6. " " " serosam;

prouti nempe sub 1 et 2 symptomata apoplexiae sanguineae te serosae aut nervosae in uno eodemque apoplexia detento subjecto occurrunt, sed symptomata sanguineae ap. semper praedominari debent; sic in ap. seroso-sanguinea vel ser.-nervosa symptomata apoplexiae sanguineae vel nervosae, qua satellites serosae habenda sunt, et s. p. Hoc tamen monendum, quod sub necroscopiis aut solum extravasatum sanguineum aut solum serosum inveniatur; aut praevallet exsudatum sanguineum, quod tamen cum exsudato seroso conjunctum est; aut praevallet exsudatum serosum, sanguinis effusio autem prae parca, aut solum adeat valida vasorum cerebralium sanguine impletio; — in apoplexia nervoso-sanguin-

nea, et nervoso - serosa, sicuti vice versa ex cadaverum sectionibus statum nervosum praegressum non, sed tantum extravasata demonstrare valemus. Complicacionem hanc in aegro vivente desumere valemus: ex habitu ejus nervoso, causa immateriali, e. g. animi patthematice, ex symptomatibus apoplecticis nervosis sub insultu et post insultum praedominantibus; — symptomata sanguinea tantum in conspectum venerunt, quia e. g. individuum plethoricum erat, et praegressa incitazione systematis nervosi, sistema circulatorium turbatum, incitatum, congestiones versus cerebrum majores causavit, et exinde enata ruptura vasorum cerebralium, extravasatum parcum sanguineum, symptomata apoplexiae sanguineae et exinde combinatio harum duarum apoplexiae specierum. Simili modo sese habet complicatio apoplexiae nervosae cum serosa. Ex his nobis explicare valemus, quare *Abercrombie*, *Copland*, fere nunquam directam rationem, quantitatem exsudati cuiuscumque sit generis aut sanguinei aut serosi inter et symptomata insultus apoplectici praegressi, invenerunt, nam non raro sub necroscopiis magna exsudati quantitas obveniebat, ubi symptomata apoplexiae exiguae erant; e contra exsudatum nimie parcum inventum, ubi symptomata luculenta et exquisita erant (*Abercrombie*); non raro ostenderunt sectiones exsudatum largum, ubi nulla symptomata apoplexiae praesto erant (*Copland*); tandem occurrabant casus, qui cum omnibus apoplexiae sanguineae symptomatibus decurrebant, et sectiones cerebrum specie sanum offerebant. His in casibus certe necroscopiae male, aut non, aut ab imperita manu institutae fuerunt. Si illis claris viris hae combinationes apoplexiae specierum inter se notae fuissent, tum certe decursum morbi, cum inde subsequuta necroscopia sibi explicare potuissent. — Hoc tam experientia et observatione edocet, quod symptomata sub una harum sex combinationum nonnunquam ita commixta, complicata,

convoluta decurrant, ut saepe vix possibile assignatu, quaenam symptomata ad hanc, quaenam ad illam apoplexiae speciem pertineant.

In qualibet specie harum combinationum vires aut suppressae aut vera virium debilitas adesse potest.

Haec divisio non est imaginaria, sed revera in praxi medica occurrit; observatio aegrorum, hoc morbo detentorum, assidua, quemlibet medicum edocebit. Sic et nos tantum ex observationibus factis ad hanc apoplexiarum subdivisionem venimus; sic in reverendissimo *Dom. Pletz* erat apoplexia nervoso-sanguinea (vide inferius *Observationem I.*); sic in *Katharina Obensdorfer* (vide *Observ. III.*) erat apoplexia sanguineo-serosa; in *Anna Lachmann* (vide *Observ. IX.*) erat tantum pura apoplexia sanguinea, uti in *Ludmilla Kluger* (vide *Observ. VII.*) pura apoplexia serosa, licet totius morbi decursus symptomata ap. sanguineae offerebat; in *Observ. VIII.* erat ap. nervoso-sanguinea.

C o m p l i c a t i o haec cognoscitur: 1. ex symptomatis, sub quibus insultus apoplecticus intravit, quae tum combinata occurrunt, sed semper ita, ut una alterare species praevaleat, 2. ex habitu externo, 3. ex anamnesticis, 4. vivendi ratione, 5. ex causa praegressa, 6. ex aliis circumstantiis, et 7. si mors intrat, ex necroscopia. Hanc cognitionem valde esse necessariam puto pro praxi, quia tum possibile erit, contra utramque apoplexiae speciem therapiam, plus minusve huic vel alteri speciei congruam, instituere, et forsum feliores erimus, quam nunc, majorem numerum aegrorum conservare.

§. 14. Autopsia cadaverum.

Anatomiae pathologicae de apoplexia disquisiciones etiamsi maxima attentione dignae sint, tamen ne illis fallamur, sedulo cavendum, praeprimis, ne in

apoplexia defunctorum sectionibus inventa causas semper morbi existimemus, quae sat saepe non sunt nisi illius effectus. Nec quoque mirandum, si quando nil plane, quod a norma recedat, nec in cerebro, nec in aliis corporis partibus inveniri potest, aliquando autem aberrationes a statu normali summe memorabiles inveniuntur, et facile quisque hujus phaenomeni rationem intelliget, quicumque perpenderit, apoplexiā nunc esse sic dictam *a) nervosam*, morbum systematis nervi mere dynamicum absque complicatione, vitiis organicis minime junctam iisque productam; nunc *b) sanguineam*, quae est effectus sanguinis in encephalo accumulati aut extravasati; nunc *c) serosam*, quae sero in superficie cerebri vel in ejus ventriculis stagnanti, vel effuso originem debet.

Quae autem illustrationes cadaverum offerunt, sunt fere sequentia:

Ad *a*. Casus complures, in quibus nullae mutationes morbosae post mortem inventae, adducuntur a *Willisio*, *Stark*, *Powel*, *Abercrombie* et similes *Morgagni*¹⁾, *Tissot*, *Quarin*, *Ballonius*²⁾, *Foderé* et *J. V. ab Hildenbrand* observarunt, velut si cum anima causa mortis effugisset. *Nicolai* hanc apoplexiā ex spasmō meningum; *Lekard* et *Weikard* ex spasmō nervorum et vasorum cerebri deducunt. Ideo *Borsieri* hanc ap. convulsivam et *Tissot* hysteriam nominavit. Sic quoque in nonnullis epilepticis, maniacis, insultu apoplectico praegresso defunctis, nil in cranio, neque in reliquo corpore inventum. Nonnulli morbi, qui insultu apoplectico superveniente morte terminantur, etiam nullas mutationes cerebri, nec non ejus meningum offerunt; valet hoc imprimis de febribus ner-

¹⁾ *Morgagni*, de sede et causis morb. per anat. indag. Epistol. III.

²⁾ Cons. med. lib. III. Cons. I. Tom. III. p. 339.

vosis, de typho contagioso cel. ab *Hildenbrand*³⁾ aliisque. Casum unum, qui huc pertinet, etiam observavimus in divisione aegrorum cel. *Seeburger*. Femina nempe, *Katharina Kaurzim*, 36. annorum, robusta, succiplena, collo brevi, crasso, thorace amplio et abdomine bene pasto provisa, ex suburbio in cubile Nr. 79. lect. 36 in statu soporoso deportata, omnia phoenomena apoplexiae sanguineae propriae offerebat; per tres dies stans hicce soporosus, licet omnia auxilia ad morbum tollendum summa cum intentione adhibita, perduravit, donec ad tertii diei finem praegresso novo insultu apoplectico, mors tristem scenam claudebat. Altera die subsectione instituta, cerebrum specie sanum, in sanissimo corpore inventum! — Simili modo necroscopiae post commotiones cerebri, frigus, venena, narcotica, ictum fulminis emortuorum nil morbosi offerebant, uti in compluribus auctoribus legi licet.

Ad b. Sub hac apoplexiae species saepissime cuncta vasa tam meningum, quam cerebri, cerebelli, medullae spinalis et sinus durae meningis sanguine fluido aut coagulato referti, oppleti, nimie turgentes, inventi sunt, ut observationes a *Willisio*, *Wepfero*, *Morgagnio*, *Copland*, *Andral*, *Cruveilhier*, *Abercrombie* aliisque edocent. In ipsa substantia cerebri ubicumque sanguinis guttulae comparent, quin ullibi laesio hujus substantiae in sua continuitate vel sanguinis ex canalibus suis ruptis emigratio observaretur (*Coup de sang*).

In casibus autem longe frequentioribus praeter symphoreticum meningum ipsiusque substantiae cerebri statum, a *Bernt*, *C. Wenzel Abercrombie*, *Kreysig*, *Andral*, *Hoffmann*, *Cruveilhier*, *Schönlein*, *Stockes*, *Copland* aliisque observatis, sanguinis l. ex ruptura va-

³⁾ J. V. Edler von Hildenbrand, k. k. Rath, Prof. etc. Ueber den ansteckenden Typhus. Wien. 1810. p. 161.

sorum praegressa, extravasata intra cranium et meninges, intra istas, intra piam matrem et superficiem cerebri, vel ad basim cranii, vel in ventriculis ex plexus choroidei ruptis vasculis, vel in ipsa cerebri substantia saepissime ex rupta arteria, rarius ex vena dilacerata, in ea praecipue, quae corpora striata et nervorum opticorum thalamos format, parte (*Mau-lin, Cruveilhier, Abercrombie*), dein in illa hemisphaerii cerebri regione, quae supra centrum semiovale Vieussenii posita est, rarius in cerebello (*Valsalva, Serres*), medulla spinali, pedunculis cerebelli, rarissime in corpore olivari et hypophysi cerebri sunt reperta.

Sic inter 392 casus apoplexiae sanguineae, quos cel. *Andral* in variis libris medicis adnotatos invenit, **202** fuere, ubi corpora striata unacum thalamis nervorum opticorum,

61 ubi sola corpora striata, et

35 ubi solummodo thalami nervorum opticorum sedem praebuere sanguinis extravasato,

27 vicibus extravasatum illam regionem hemisphaerae, quae supra centrum semiovale Vieussenii posita est,

16 vicibus lobos cerebelli laterales,

10 „ lobos cerebri anteriores,

9 „ pontem Varoli,

8 „ medullam spinalem,

7 „ lobos cerebri posteriores,

5 „ lobos cerebelli medios,

3 „ pedunculos cerebri,

1 „ pedunculos cerebelli,

1 „ corpus olivare,

1 „ hypophysim cerebri, occupavit.

Ex sectionibus **41** individuorum apoplectice defunctorum cel. *Rochoux* invenit: **34** sanguinis extravasata in corporibus striatis, **2** in thalamis nervorum opticorum, **1** in corporibus striatis unacum thalamis ner-

vorum opticorum, 5 in media parte hemisphaeriorum cerebri, 2 in posteriore parte ventriculorum, 2 in anteriore et media parte hemisphaeriorum, 3 in horum media et posteriore parte, et 1 in medio lobo cerebri. Sic cel. Abercrombie (op. cit.) in hujus, quas egregio descriptis calamo, morbi historiis sanguinem effusum vel in uno altero cerebri ventriculo, vel in omnibus simul; in hemisphaerii dextri substantia; infra duram meningem, in totam cerebri superficiem dextrumque praecipue superfusum hemisphaerium; in cerebello et quidem hujus lobi dextro invenit. Serres exsudatum sanguineum in ponte Varoli observavit, e quo sanguis in fossam occipitalem effluxit; alii exsudatum invenerunt circa medullam oblongatam.

Ventriculi rarissime primariam sistunt haemorrhagiae sedem, saepissime autem, sub quavis nempe haemorrhagia majoris vehementiae, cavum illud, in quo sanguis effusus continetur, aut cum ventriculis, aut cum superficie cerebri versatur in communicatione. Est, ubi per septum pellucidum ruptum ventriculi laterales inter se communicant. Nonnunquam et ventriculus septi pellucidi sanguine expansus est repertus.

Si extravasatum haemorrhagicum sive effusio sanguinis in cerebri substantiam est facta, hujus cohaesio imminuitur et sanguis effusus proprias sibi cava-
tes morbosas et diverticula construit. Locus, ubi haec nova depositio sanguinis facta, formam refert irregularē sphaericā. Parietes horum morbosarum cavitatum sunt inaequales, dilaceratae, ita ut lobuli sive folliculi substantiae cerebri dilaceratae in hac cavitate pendeant, aut soluti cum sanguine commixti sint. Substantia cerebri in circumferentia hujus extravasati mox normalis, mox sanguine conspurcata, vel est emollita, vel in massam pultaceam, rubellam commutata. Quantitas sanguinis extravasati et magnitudo inde enati foci haemor-

rhagici variat a volumine fabae usque ad illas enormes cavitates, quae totum cerebri hemisphaerium occupant. Quantitas sanguinis effusi a drachmis 2, ad 4 — 6 — 8 (raro infra illam aut ultra hanc mensuram) variat.

Alia vice II. extravasatum non per rupturam vasorum, sed per transsudationem sanguinis ex vasculis exoritur. Hae transsudationes sanguineae tantum in interna facie arachnoideae, aut in sub hac jacente textu cellulari aut in ventriculis cerebri occurunt. Extravasata sanguinea in cerebri substantiam fere semper per vasorum rupturam exoriuntur.

Physicae sanguinis effusi indoles pro vario morbi stadio varias offerunt modificationes; sic tertio aut quarto post insultum die sanguis colorem ostendit nigricantem mollemque consistentiam, serius autem firmior evadit, colorque in laetiorum mutatur. Pedetentim per processum resorptionis massa coaguli imminuitur. Post aliquot hebdomades parca tantum quantitas superest, texturam ostendens fibrosam, demum in massam abiens cellulosam, donec penitus resorbeatur. Duratio hujus processus spatium explere solet 5 vel 6 mensium, non nunquam autem multo longius requiritur temporis spatium (*Riobé, Moulin, Serres*).

Quod nunc adduximus, occurrit frequentissime sub simplici extravasato; attamen observationes a *Rochoux, Cruveilhier, Andral, Serres, Abercrombie, Cheyne, Riobé, Brichetau, Moulin*, nostra schola anatomico-pathologica et ab aliis institutae nos edocent, quod circa focum haemorrhagiae variae contingant mutationes, quia vis naturae medicatricis benigna sanguinem effusum resorbere, laesamque substantiam cerebralem per processum quemdam cicatrizationis vult restituere; hinc illae mox adducendae mutationes.

Ubi haemorrhoea in penetralibus substantiae cerebri locum habet, sanguis extravasatus in cavernis contine-

tur cum ventriculis aut superficie cerebri communicantibus.

Sanguis effusus in cavernam recipitur, quae ex membrana peculiari pathologica, quae nil aliud est, quam exsudatum lymphatico-plasticum, tenuissimum, quidquam induratum, aut ex textu cellulari, figuram sacci offerente, efformatur. Parietes harum cavernarum sunt inaequales, dilacerati, insignem ostendunt mollietatem, sanguine tincti, ad 1 — 4 lineas crassi, sub aqua immersi lobulos ostendunt innatantes, et vascula innumera dilacerata, quae ex cavernae parietibus, uti spicula innumera intus prominent. Haec spicula nil aliud sunt, quam vasa rupta partis dilaceratae substantiae cerebri. Sanguis in hac caverna sive cystide apoplectica varie prospicit prouti longius aut brevius tempus ab extravasato facto praeteriit. Post tertium, quartum diem sanguis in medio coagulatus in circumferentia adhuc fluidus; post sextum diem sanguis extravasatus in duas secedit partes, in unam medium nempe firmiores et alteram fluidiores, quae firmam circumdat. Pars illa fluidior, quae moleculas quoque principii sanguinis colorantis solutas continet, tenerrimam illam telam cellulosam, fibrillas substantiae cerebri circumdantem, per simplicem processum imbibitionis infiltrat, inde color flavicans, mox assignandus, inde mollies parietum cavernae derivanda (*Cruveilhier*). Pars illa fluida est serum coloris flavicantis, pars firma sistit coagulum sanguinis est nigricantis coloris. Pars haec firma tractu temporis colorem mutat, ita, ut usque ad colorem flavescentem adscendat. Sub hac coloris mutatione sanguis coagulatus bruneus iterum emollitur et unacum sero resorbetur, ita, ut sola caverna sive cystis apoplectica remaneat. — In circumferentia hujus cavernae ab initio substantia cerebri ad crassitatem 3 — 4 linearum, valde mollis, rubra, si inflammatio (haec est reactio naturae insultum sequens) per longius tempus

post insultum praegressum duraverit; aut si processus phlogisticus in circumferentia cystidis apoplecticae per breve tempus duraverit, invenitur haec indurata, fere cartilaginea, frequenter tamen mollis, coloris flavicantis, aut viridescentis aut albi, quae a reliqua cerebri massa distinguitur. Color flavicans vel quivis alias, mol-lities vel durities ad intus sunt maxime conspicuae, extrorsum autem decrescunt, quin certi limites assignari possint. — Cystis apoplectica, uti dictum, ex tex-tu cellulari, qui membranam offert, conformata est; haec membrana mox valde tenuis invenitur, mox valde densa, crassa et fere structuram fibrosam offert. In ge-nere cystides apoplecticae in superficie cerebri enatae sunt valde crassae, firmae, fere fibrosae; cystides in substantia cerebri vel in ejus ventriculis exortae, pa-rietes magis tenues, consistentiae minus firmae offerunt.

In omni parte cerebri, et praecipue in illis, ubi ex-travasata sanguinea contingunt, inveniuntur etiam cy-stides apoplecticae; hinc frequentissime in corporibus striatis, thalamis nervorum opticorum, in substantia hemisphaeriorum cerebri, et in ejus superficie, rarius in cerebello, protuberantia annulari etc. Magnitudo cystidum apoplecticarum maxime variat, ab illa nem-pe pisi minoris usque ad illam ovi anserini et adhuc majus.

Tali modo res se habent in apoplexia recenti fere usque ad finem primi et ad medium partem secundi men-sis post insultum praegressum, tractu autem temporis notabiles exoriuntur mutationes. Sanguine nempe re-sorpto parietes harum cavernarum processum subeunt cicatrizationis et quidem sequentibus sub formis:

1. Prouti sub omni laesione continui, nova con-tingit genesis materiae cellulosae, hinc inde vasis per-textae, ad parietes cavernae. Caverna de die in diem ma-gis contrahitur, donec ejus parietes in immediatum veniant contactum, et in cicatricem firmam, plerumque nuclei for-mam concrescant.

Frequentissime haec forma, ubi haemorrhagia praegressa modica tantum fuit, observatur.

Tempus, quod ad cicatrisationem necessarium, difficile est determinatu, consuetim cicatrisatio in cerebello longissimum tempus exposcit. Cicatrix nuclei formam referens frequentissime obvenit, cicatrix formam referens lineae, rarissime. Cicatrix varii est coloris, mox offert colorem nigrum, bruneo-nigrum, bruneo-flavidum, intense flavidum, pallide flavum, mox griseum et albidum. Cicatrices discissae offerunt vel strata textus cellularis tenuia, mollia, concreta, vel membranas fibrosas, duras, compactas. Substantia cerebri in circumferentia horum cicatricum est aut normalis consistentiae, aut in circumferentia 1 aut 2 linearum indurata (*Cruveilhier*).

2. Ubi copia sanguinis extravasati major fuit, parietes cavernae sub processu cicatrisationis per ligamenta cellulosa, vasis sanguiferis pertexta, inter se invicem connectuntur. Ligamenta illa mutuo se decussant, talique pacto cava formant, quae humore tenui, ichoroso, rubicundo aut flavicante et gelatinoso replentur.

3. Alia adhuc vice cysta formatur, cujus interna facies membrana tenui, serosa, flavicante, madida investitur (*Riobé*).

Quodsi superficies cerebri aut ventriculi sedem sistunt haemorrhagiae, cystis apoplectica raro formatur, frequentius tamen in superficie cerebri, quam in ventriculis; mollities et flavedo minus sunt conspicuae quoniam facilis negotio a sanguine serius adhuc effuso abluntur, quod frustula substantiae cerebri cum sanguinis coagulo mixta, ibidem inventa, abunde demonstrant.

Cystides apoplecticae in superficie cerebri enatae oblongam, in superficie superiore et inferiore complanatam fere tabularem referunt formam; facies superior cystidis cum dura matre plerumque concreta, inferior vel cum pia matre vel cum substantia cerebri cohaeret.

Quoad processum cicatrisationis ea omnia valent, quae superius adduximus.

Nonnunquam obveniunt casus, ubi, praegresso (ante plures annos) insultu apoplectico, cicatrix nucleiformis enata, post annos, postquam aeger ex priori sanatus fuit, novus, ex causa data, insultus apoplecticus contingit; hic aut exsudatum haemorrhagicum exoritur pone cicatricem vetustam, quod rarissime fit, nam vasa et substantia in cicatricem circumferentia firmiora sunt; aut exsudatum novum contingit in locis a cicatrice remotis, quod frequentius contingit, et nobis saepius observare licuit. In tali casu ea omnia contingunt cum novo extravasato, quae prius fusius expsuimus. Si homo convalescit, tum habet duas cicatrices, quae dein, si alio morbo aut novo i. e. tertio insultu apoplectico intrante, moritur, sub sectione cerebri inveniuntur; aut si antequam cicatrisatio nova facta, mors intravit, tum cicatrix vetusta et novum haemorrhagicum extravasatum invenitur sub necroscopia.

Hoc etiam obvenit, quod in uno eodemque individuo, apoplectico habitu donato, causa excitante, eodem temporis momento duplex extravasatum sanguineum, sed in diversis locis e. g. in hemisphaeris cerebri dextro et sinistro (vide **Observat. II.**) exoritur, tum sub necroscopiis aut duplex extravasatum, aut duas cystides invenimus aut duplicem cicatricem. Communiter tamen in uno hujus extravasati loco sanguinis major quantitas accumulata, in altero loco minor. Nonnunquam extravasatum contingit in superficie cerebri et alterum in ipsa cerebri substantia, aut in ejus ventriculis, quin extravasata communicent; quod sectiones edocent.

In aliis casibus adest duplex extravasatum sanguineum, sed ita efformatum, ut extravasata per canalem pathologicum communicent, e. g. adest

extravasatum in superficie cerebri *a* (vide adstantem figuram), alterum in substantia cerebri ejusdem lateris, e. g. supra tegumentum ventriculi lateralis *b*, nunc haec ambo extravasata communicent per canalem abnormem *c*. Huc primo non possumus assignare: an extravasatum *a* prius factum et per pondus sanguini proprium extravasatum sive caverna *b* posterius facta: huic sententiae vix consentire valimus, quia si extravasatum *a* prius factum, tum non tam angustum canalem *c* formaret, sed aequali modo per pondus suum proprium substantiam cerebri extenderet; hinc potius secundum possumus assumere, quod in eodem cerebri haemisphaerio eodem temporis momento duplex extravasatum factum, unum in superficie, et alterum in cerebri ipsius substantia. Subsequuta autem emollitione cerebri in ambarum cavitatum circumferentia, substantia intermedia intra haec duo extravasata emollita fuit, quo facto extravasatum superius levi modo canalem sibi facere potuit, quod dein extravasatum inferius invenit, et hinc illa communicatio. Sub sectionibus aut invenitur duplex extravasatum, quod per canalem morbosum communicat; aut adest duplex cystis apoplectica, quorum cavitates internae per canalem tenuem communicant, aut non, si canalis est obliteratus, hinc cystides separatae inveniuntur; aut si cicatrizatione subsequuta est, tum duo nuclei per flum fibrosum cohaerentes, fere hanc formam referentes



inveniuntur.

Fors existit adhuc major numerus harum complicationum, quam nos assignavimus, hoc non negamus *Benebole Lector!* retulimus tantum ea, quae sub cadaverum sectionibus invenimus, innixi verbis immortalis *Baconis*: „Ars medica tota in observationibus.“ Sed ne exspectes, *B.L.!* ut dicta sole clariora sint, potius profitemur, ut verbis clari atque sempiterne laureati *Homeri* (Il. 24. lib.) exprimamus:

„Πολλὰ δάναυτα καταντα πάραντά τεδόχμιά τηλθού ¹).“

et cum ingenio peculiari a natura donato *Goethe*:

„Irrthum verlässt uns nie; doch zieht ein höher Bedürfniss
Immer den strebenden Geist leise zur Wahrheit hinan.“

priusquam supra adducta, licet culter anatomicus edocuit, in lucem proferre ausi sumus.

Sunt bona, sunt quaedam mediocria, sunt mala plura,
Quae legis; hic aliter non fit, Avite, liber.

Martialis L. S. Epigr. 16.

Praeter nunc adducta per sectiones inventa cerebri substantia aut mollis aut nimis dura, lacerata, abscessu detenta, pallida, flava, viridicans, praerubra aut solito obscurior, subinde folliculi membranosi, cicatrices, vel cavitates morbosae, sanguinem coagulatum, aut massam sanguinis exsiccati, aut solum fluidum serosum, aut cum sanguine commixtum, aut nil, aut textum cellulosum simplicem continentis (ex insultu apoplexiae praegresso residuae); — haec residua post apoplexiā sanguineam multo frequentius inveniuntur, nam exsudatum sanguineum multo difficilius resorbetur, quam serosum aut lymphaticum; — plexus choroidei tumidi, rupti, vel varicibus distenti. Sanguinem tunica propria seu sacco, quem cum illo aneurysmatis comparabant, in cerebro involutum observarunt *Wepfer* et *Morgagni*, nec non plures recentiorum Pathologorum.

Quoad habitum externum sequentia notanda vniunt: in hac ap. facies plerumque turget, rubet; ex ore spuma serosa vel sanguinolenta profluit, ex naribus serum aut sanguis; labia livida; oculi prominent, pupilla dilatata, sed vidimus (Observat. IX.) etiam pupillam non dilatatam; in alio casu invenimus pupillam in uno oculo dilatatam, in altero non. Maculae ex si-

¹) Lange hinauf und hinab richtweg und Krümmungen ging man.
Voss Uebers.

Und im' Strebēn nach Wahrheit, wer geht nicht noch Krümmungen jetzo?! —

napismis vesicantibus provocatae facile cognoscuntur. In his cadaveribus quoque vulnera ex morsu hirudinum, scarificationibus, phlebotomia, invenimus.

Ad c. In hac apoplexiae specie vasa meningum et cerebri sanguine nigro, fluido vel semicoagulato scatent. In sinibus serum vel lympha accumulata, vel massae polyposae; serum fluidum, lymphaticum vel sanguinolentum, tenue vel viscidum, intra meninges vel in superficie encephali. Parenchyma ipsum cerebri hydatidibus repletum, praeter normam durum, vel molle, laceratum, pallidum, flavescens, massam caseosam offerens, vel pure infiltratum, subinde cicatrices aut cavitates morbosas, serum aut lympham aut nil continentis, praeципue, si plenaria resorptio contingebat; hinc sola cava-
tas remanet, aut cicatrix (ex insultu apoplexiae prae-
gresso residuae), aut vasa substantia cerebri aëre in-
flata, aut inania, collapsa; in ventriculis cerebri sae-
piissime materia puriformis, serum effusum flavidum,
aquosum, sanguinolentum ad 3—6 uncias accumulatum;
plexus choroidei tumidi, hydatidibus obsiti; in corpore calloso calculi et excrescentiae variae; glandula pituitosa tumens, muco repleta; glandula pinealis ad magnitudinem nucis juglandis aucta; in cranii basi fluidum aquosum, serosum, lymphaticum, flavescens, rubicundum, vel cum sanguine mero quidquam tinctum, ad plures uncias inventum. Quod habitum externum adtinet, sequentia invenimus: corpus bene pastum, obesum, par-
tes singulae laxae, oedematosae, vel cadaver emaciatum, corrugatum; facies plerumque pallida, collapsa, vel tu-
midula, labia pallida, oculi in orbitam retracti, pupilla raro dilatata; raro spuma ante os, adhuc rarius fluidum serosum aut sanguineum ex naribus.

Sub complicationibus apoplexiae specierum inter se, et praecipue sanguineae et serosae, sub sectionibus cadaverum mutationes in crânio, quae seorsim sub b et c adduximus, conjunctae occurrunt. Occurrunt prae-
ci-

pue in individuis scorbuticis, post abusum narcoticorum, aut spirituosorum, emortuis.

Ceterum adhuc monendum, quod jam sub §. 13. adduximus, quod non semper quantitas exsudati cuiuscumque sit generis aut sanguinei aut serosi cum symptomatibus insultus apoplectici in directa ratione versetur, nam non raro obvenit exsudati magna quantitas, ubi symptomata apoplexiae exigua; e contra exsudatum nimie parcum inventum, ubi symptomata luculenta et exquisita erant (*Abercrombie*); non raro sectiones ostendunt exsudatum largum, ubi nulla apoplexiae symptomata praesto erant (*Copland*); tandem occurunt causas, qui cum omnibus symptomatibus gravissimae apoplexiae sanguineae decurrunt, et sectiones cerebrum specie sanum offerunt (vide §. 14 ad a.). Haec omnia tantum ex complicatione apoplexiae specierum inter se explicare valemus.

In utraque apoplexiae specie, tum sanguinea, tum serosa, uti et in nervosa, praeter enumerata varia inventa, uti: cranium angustum *Stoll*¹⁾; topho, gummate, exostosi *Hufeland*²⁾, carie affectum; fracturae ossium cranii, ossa aut frusta ossium, lignum, ferrum, lapi-des, aliaque corpora in cerebri substantiam impacta; laesiones cerebri variae; ossa cranii a se invicem remota, profundis sulcis et fossis a glandulis *Pachionis* multum tumentibus instructa, iisdem locis solito tenuiora et pellucida³⁾; cerebri membranae ossibus cranii, vel sibi invicem morbose adhaerentes, incrassatae, induratae, ossificatae, inflammatae, exulceratae. In falce cerebri *Henke*⁴⁾ et nos (vide Observat. III.), in sinu durae matris *Conradi*⁵⁾ ossa invenit, et nos in su-

¹⁾ Ratio medendi. Pars VIII.

²⁾ Journal d. pract. Heilkunde. B. XVII. H. 1. pag. 116.

³⁾ *Hausleutner*, pr. Reil de locis in Apopl. affectis. §. 10 pag. 14.

⁴⁾ Sammlung mediz. u. chir. Abhandl.

⁵⁾ Handbuch der pathologischen Anatomie.

perficie durae matris laminas osseas variae magnitudinibus et crassitie, et granula ossea solitaria vel aggregata, majora quam semen papaveris, milii, pluries sub sectionibus cadaverum invenimus; sic quoque in arochnoidea laminas osseas praecipue in individuis arthriticis, apoplexia defunctis, frequentius observavimus. Frequentissime ossificationes in falce cerebri magna, parte anteriore, rarius in tentorio, rarissime in falce cerebelli occurunt. Parenchymatis ipsius degeneratio in diversis cerebri locis, abscessus, steatomata, sarcomata, tumores cystici, vera taenia hydatigena *Fischer*¹⁾, tubercula (tuberculosis cerebri), tubercula arthritica; indurationes scirrhosas *Lancisii*²⁾ invenit; fungi hydatidosi cranii, fungi medullares, fungi durae matris, fungus haematodes, tumores fibro-cartilaginosi, tubercula durae matris, melanosis, hydatides in plexibus et substantia cerebri, cerebellum scirrhosum³⁾, praeterea inventa est atrophia cerebri totius aut singularum ejus partium, uti thalamorum opticorum, nervorum opticorum (vide Observat. IV.), nervorum ex cerebro provenientium; cerebellum deforme, atrophicum pro parte aut ex toto, vel hypertrophicum ex toto vel in singulis partibus, emollitio (flava aut rubra) cerebri, pro se aut cum exsudatis sanguineis, lymphaticis etc.; plaga cerebri emollita variat a magnitudine pisi usque ad illam ovi anserini; sarcoma glandulae pituitariae; glandula pinealis magna, passim purulenta *Lieutaud*⁴⁾, passim ossificata *Haase*⁵⁾; carotidum obstructio, ossificatio *Bonnet*⁶⁾, aneurysma carotidis cerebralis; aneu-

¹⁾ Taenia hydat. in plexu choroid. invent. hist. Lipsiae 1789.

²⁾ De subitaneis mortibus. Pag. 95. et M. Stoll, Rat. med. V. VII. Pag. 163.

³⁾ De his enumeratis sectionum productis in Musaeo pathologico Universitatis Vindobonensis plura insignia praeparata asservata inveniuntur.

⁴⁾ Bonnet. Sepulchrum. L. 1.

⁵⁾ W. Haase chron. Krankheiten, zweiter Band. Leipzig 1820.

⁶⁾ Sepulchretum. Sect. II. Obs. 8.

risma arteriae vertebralis sinistrae prope foramen magnum (*Sormani*); fragilitas vasorum cerebralium, horum ruptura aliaque inveniuntur. — Descriptae mutationes morbosae, ut plurimum in hemisphaerio partibus paralyticis opposito inveniuntur.

Praeter nunc citata variae quoque anomaliae in reliquo corpore, praecipue in thorace et in abdomine sub sectionibus apoplexia defunctorum sunt inventae, quae aut apoplexiā causarunt, aut quocumque alio modo circulationis aberrationes et inde nimiam sanguinis accumulationem in cerebro induxerunt.

Anomaliae pectoris. Huc spectant deformitates et concretiones thoracis variae; vertebrae collis sex; morbi pulmonum varii, uti: scirrhi, steatomata, tubercula indurata copiosa etc., per quos circulus laticis vitalis turbatur, interrupitur; pleura pulmonibus aut diaphragmati morbose nexa; enoritas cordis ¹⁾, sarcinate aut alio vitio affecti; concretio pericardii cum corde; concretiones pulmonum cum pericardio; aneurysmata cordis ²⁾ et vasorum majorum, eorumque origo abnormis, ossificatio, polypi ³⁾, rigiditas parietum ventricorum cordis; indurationes, ossificationes valvularum bi- et tricuspidalium, semilunarium (vide Observ. I. IV. VII.); inflammatio membranae cava cordis obvestientis (vide Observat. II.); vena cava descendens a tumoribus in pectore compressa; arteria vertebralis exorta immediate ex arcu aortae (*Morgagni*); orificia cordis valde angusta (Observat. VII.) etc.

Anomaliae in abdominis cavo. Praecipue adnotantur: tumores varii generis; steatomata ⁴⁾;

¹⁾ Kreysig, Krankheiten des Herzens. Bd. I. Berlin 1814; et Observ. I. II. V. VII.

²⁾ Morgagni, l. c. Epist. III., et Lieutaud, Hist. anat. med. L. 1. Obs. 668; et Observ. I. VII.

³⁾ Acta naturae curios. Vol. II. Observ. 109, et nostra Observ. V.

⁴⁾ Swieten, Comment. in Boerhav. Aphor. T. cit. §. 1017.

scirrhi; fungi varii; fibrochondroides; hepar hypertrophicum (*Observat.* V., VII., IX.), vasa bilifera dilatata, trombis firmis, fere osseis, flavidis, biliformibus oppleta (*Observat.* III.); lien hypertrophicum (*Observat.* VII.), vel parvum, atrophicum (*Observat.* I. II. III.), vel inflammatum, cum abscessu provisum (*Observat.* IV.); viscerum in abdomine reconditarum infarctus; tumor renum ingens, aortam descendenter comprimens (*Morgagni*); intestini jejunum tumor cysticus; coli intussusceptio ¹⁾; vasorum abdominalium varices; calculi fellei, renales, vesicales (*Hoffmann*, *Bonnet*, *Baglivi*); ossificatio aortae descendenteris ²⁾.

§. 15.

Fretus aureis verbis immortalis *Baglivii*: „Duo sunt praecipui medicinae cardines, ratio et observatio; observatio tamen est filum, ad quod dirigi debent medicorum ratiocinia”, adduco nonnullas *Observationes* notatu dignissimas, quas vel solum observavi vel etiam observavi et tractavi, nam ingeniosus atque sagacissimus *Fridericus Hoffmannus*, λιγὺς Ηὐλίων ἀγορητής, τοῦ καὶ ἀπό γλωσσῆς μελιτος γλυκίου ρέεν αὐδή ³⁾; dicit: „Casus clinici et completae morborum historiae unicum et verum pathologiae et therapiae rationalis fundamentum constituunt, sine quorum sufficiente apparatu nihil solidi medicus in theoria statuere, neque in praxi praestare et efficere potest”; et *Hermannus Boërhavius*, observator naturae assiduus, laureatus in aeterna saecula, dicit: „Duo tantum firma fundamenta agnoscenda sunt, quibus certissima medicina nititur. Nempe

¹⁾ *Bonnet*, Sepulc. obs. 42.

²⁾ *Swieten*, l. c.

³⁾ Der tönende Redner von Pylos, dem von der Zunge, so süß wie Honig, die Rede daher floss.

1. adcuratissima observatio earum adparitionum, quae in homine sano, aegroto, moriente et mortui cadavere sensibus externis adparent.

2. Severa indagatio illorum, quae in homine latent, sensibus abscondita et quae sola raciocinatione exacte obtainere possunt, dum data experimenta singulatim perfecte expansa in omnibus suis proprietatibus examinantur, ac inter se sedulo comparantur, ut convenientia vel diversitas patescat; tumque ea omnia notantur, quae clare inde deduci possunt. Neque vero posteriora haec prioribus minus fida vel firma erunt."— Per deos immortales rogo tantum enixe lectores benevolos, ut si quae, mox adducenda manca inveniant, ignoscant et meminerint primum rude tentamen tyronis medici esse, quod acumini ingenii dijudicandum proponitur.

Observatio I.

Dr. Josephus Pletz, Abbas insulatus B. M. V. de Pagrany, Aulae atque Palatii C. R. Parochus etc., 53 annorum, habitus teneri, temperamenti sanguineo-cholerici, praeter exanthemata pueritiae infesta, quae normalem decursum observarunt, usque ad quadragesimum nonum annum satis bona gavisus est sanitate. Ab hoc tempore, variis temporibus de vertigine, doloribus ad occiput, tremore artuum inferiorum ingressu incerto, palpitatione cordis, nec non de dolore in regione lumbali est conquestus; interdum molimina haemorrhoidalia fuerunt adetusata. Hac de causa per intervalla varia repetita hirudinum applicatio ad anum, cucurbitarum cruentarum versus decursum spinarum vertebralium et per longum tempus pro usu interno digitalis cum nitro, nec non elixirium acidum *Halleri* fuerunt ordinata. Sub horum remediorum usu haec symptomata semper diminuebantur et hinc inde per aliquot tempus penitus disparuerunt.

Ast die 28. Martii 1840, postquam diebus prae-
gressis optime se habuerat, tempore matutino quidem
aliquam inquietudinem persentiebat, sacram tamen mis-
sam celebravit; sed ad horam secundam pomeridianam
ex Sessione, ubi post longam vociferationem animo
exaltato et valde intento rem pro re publica summi
momenti defendebat, domum rediens in platea repente
ingressus ejus turbatus, et capite antrorsum inclinato,
titubantem, vacillantem, ac si pedes rependo traheren-
tur, incedentem conspexi; facies rubebat, turgebat,
et jam tunc momenti spuma levis circa os apparuit,
artus superiores tremebant, inferiores suetum officium
peragere noluerunt; statim Ipsi auxiliari volui, sed
hic bonus Vir rem vili pendebat et ulterius progredi vo-
luit; vix tamen gradus tres quatuorve fecit, membrorum
inferiorum pondus atque stupor gressum cohibuit, et
ni ipsi auxilio venissem, humi cecidisset; rubor atque
turgor faciei erat magis evolutus, pupilla quidquam di-
latata, labia sublivida, lingua gravis, balbutiens, verba
edidit intellectu non possilia; arteriae temporales for-
titer pulsabant, respiratio difficilis, profunda, suspiria
frequentia, pulsus latus et fortis. Sub tali rerum
statu collare solvi, tunicam indutam aperivi, Ipsumque
manibus meis sustinui; et quum conscientia plenarie
deleta non fuisset, oculis apertis, vultu quidquam hi-
lariori, respirio quidquam liberiore facto, turgore ca-
pitis decrescente, quasi refocillatus, ulterius ambulare
voluit. Sed et tertia vice plenarie fortuna cessavit,
fatumque dirum statum omnem meliorem denegavit: nam
symptomata adducta graviora facta conscientia dere-
pente abolita fuit, motusque voluntarius sublatus, mus-
culi relaxati corpus tenere non valuerunt, hinc, quum
hoc subito intravit, cecidit in latus dextrum trunci nec
non faciei et praecipue ad ossa temporalia, qui lapsus,
cum ipsum firmiter manibus tenurem, non admodum
gravis fuit, quum ego etiam solum maternum truncum

atque pedibus tangere debuerim; hoc momento statim ipsum sustuli et rogavi adstantes, ut mihi quis ex domo propinqua aquam et acetum adportaret et alias currum Vindobonae consuetum (*Fiaker-Wagen*) adduceret. Adspiciens aegrum, facies ejus erat admodum rubra, livida, oculos mox aperiebat, mox claudebat, spuma ex ore effluxit, respiratio erat difficilis, sed non sterterosa, tremores artuum superiorum, inferiorum status fere pareticus, pulsus durus, tardus. Mente cogitavi, quod hic gravis *Apoplexia* intravit. Paucis post minutis, quum aeger ad se redire inceperit, hunc enixe rogavi, ut mihi habitationem suam assignaret; ter mihi loquela balbutiente, fere rogante locum (*Schweizerhof*) *Palatii S. C. R. Majestatis* assignavit. Interea *Ipsum* solvi a vestibus arctis, adspersionem feci cum aqua frigida, et tempora cum aceto lavavi, sic quoque orificia narium et manus. Nunc currus advenit et currus ope *Ipsum* in habitaculum deportavi. Sub vectione semper manum sinistram adspexit, quam statim exploravi, an fracta sit, nec ne? et quum nullam laesionem invenissem, interrogavi: an *Ipsi* doleat? respondebat mihi: „non” voce tamen debili, fere aphonica, hoc ultimum *Ejus* erat verbum. Interea currus ad habitaculum suum venit; tum statim in cubile suum deportatus, vestibus exutus et trunco semierecto in lectum positus; infra caput posui pellem cervinam, supra caput fomenta glacialia, ad pedes linteum tepidum; paucis post minutis *Venaesectio* larga est instituta; vertici applicata vesica bovina, quae glaciem semicontusam cum sale culinari commixtam continebat; nuchae adpositum vesicans ad magnitudinem palmae manus, et suris brachiisque sinapismi acido acetico commixti; ano clysmata ex infuso florum chamomillae cum oleo et sale injectum, et interne remedium antiphlogisticum congestionesque sedans, humores a capite detrahens, praescriptum, quod tamen aeger ob deglutitionem denegatam non assumpsit.

Status hic soporosus, omniaque symptomata altera die, id est 29. Martii eodem tenore perstarunt, et quum congestiones ad vesperas versus encephalon graviores fuissent, hirudines medicinales Num. sex temporibus adplicita fuerunt. Ceterum in omnibus continuatum.

Ast licet omnia cum summa diligentia adhibita, ex hora in horam status pejor intravit, qui tamen se non per symptomata objectiva monstravit, quia aeger quiete absque deliriis decubuit, sed per lapsum atque debilitatem, prostrationem et exhaustionem virium ex minuto in minutum increscentem, ita, ut aeger die 30. Martii hora $\frac{1}{2}$ 2 post mesonyctium supremum obiit diem.

Sectio altera die instituta sequentia offerebat:

Corpus, supra quinque pedes longum, proportionem omnium partium pulcherrimam offert, pingue et musculosum; dorsum, cervix et collum maculis late expansis, profundis, feralibus obsitum; scapulas retro adest plaga oblonge quadrata magnitudinis palmae manus cum levi crusta flavescente, ex applicito vesicante, tecta. **Facies** non alterata, physiognomia hilaris, pie dormientis; vertex calvus, tempora et occiput capillo pulchro, cincinnato, ex griseo-nigricante ornatum; *regio temporalis* lateris dextri magis complanata, et ex lapsu in hoc latus praegresso adtrita, in margine orbitae dextrae temporali ad fabae magnitudinem plaga sugillata, quae ex lapsu provenit, invenitur; *regio temporalis* sinistra magis convexa; in quolibet tempore tria coerulea punctula sugillata ex hirudinum morsu. **Oculus** sinister profundius situs, quam dexter, palpebrae clausae, pupilla coarctata. **Collum** breve, valde crassum, tumidum. In flexura cubiti dextri vulnus sugillatum ex praegressa phlebotomia; ceterum pectus, abdomen et extremitates nil peculiare offerebant.

Cranio aperto; calvaria inaequaliter elyptica,

in regione temporali dextra multo crassior, quam in latere sinistro ejusdem regionis; *impressiones* ex glandulis *Pachionis* enatae, maiores, profundiores, quam ex norma obvenire solent; *sulci* faciei isternae cranii ex arteria temporali provenientes, profundiores et latiores; quantitas *emissariorum* pauca atque parca. *Dura meninx* sanguine injecta, hinc inde in ejus interna facie parva sanguinis extravasata inveniuntur, dextrorum dura mater *piae meningi* firmiter adhaeret; *vasa venosa* piae meningis valde *extensa*, eam inter et *arachnoideam* fluidum grisei coloris modica quantitate effusum; *substantia cerebri* tum corticalis, tum medullaris in superficie *solida*, profundius mollior; *substantia medullaris* sanguine non injecta; *ventriculus lateralis* cerebri *sinister* valdopere dilatatus, fluido et coagulato *extravasato sanguineo* repletus, *ventriculus dexter lateralis* etiam valde dilatatus, *sanguine extravasato totaliter expletus*, *septum pellucidum* dilaceratum, et ita extravasata communicant. *Quantitas extravasati* quatuor uncias *continet*. *Plexus choroideus* ventriculi dextri *hydatidibus* obsessus. *Basis cerebri* et *cerebelli* extravasato sanguineo sunt obducta. *Cerebelli substantia* sanguine valde dives. *Sinus durae matris*, praecipue sinus occipitalis et petrosus sanguine nigricante nimie repletus. Basis cranii supra orbitam sinistram profundius sita, quam in latere dextro.

Cavum thoracis. In *cavo thoracis* utroque parva quantitas seri accumulata. Uterque *pulmo* collapsus, *substantiae normalis*, lobi superiores parum, inferiores valdopere sanguine seroso, spumante infiltrati. In *pericardio* sueta quantitas seri flavicantis. *Cor hypertrophicum*, pingue; *Atrium cordis dextrum* dilatatum, sanguine nimis impletum, parietes ejus tenues, marcidi; parietes *atrii sinistri* quidquam crassiores sed etiam marcidi et molles. *Ventriculus sinister cordis magis* dilatatus, quam in statu normali; *ventriculus dex-*

ter nil abnorme offert. *Aorta* ab ortu usque ad arcum, ex dimidia parte dilatata; *valvulae omnes cordis crassiores*, densiores et solidiores inventae.

Cavum abdominis. *Ventriculus et intestina* extrorsum vasa turgentia offerunt, ita, ut velamentum eorum serosum rubefactum adpareat, ceterum normalia. *Hepatis* volumen non auctum, fusco rubri coloris, subtiliter granulatum, consistentiae normalis. *Cystis fellea parva*, suetam quantitatem bilis fluidae continet. *Pancreas* crasse granulatum, solidum, normale. *Lien* parvum. *Renes* textu cellulari crasso adiposo involuti, eorum substantia, uti *uretheres* et *vesica urinaria* normalis.

E p i c r i s i s.

Si hujus morbi ortum, evolutionem ulteriorem totamque ejus historiam, nec non producta necroscopiae institutae attenta mente pensitamus, haud quispiam de diagnosi rite statuta dubium movebit, quum ille fere omnibus, unicuique stadio pathognomonicis symptomatibus exornatus in conspectum nostrum processerit. Cae-teroquin ex hacce morbi historia elucescit, quomodo et a quibus simul causis concurrentibus in homine disposito, et jam aliquando insultum apoplecticum experto, non solum' gravis illa haemorrhœa cerebri, sed etiam apoplexia nervosa progigni possit; nam Vir ille ingeniosus ac summe laboriosus per duas tresve horas summis atque gravissimis rebus ad rem publicam spectantibus occupatus, ex Sessione defatigatus exivit. — Sublata singulorum systematum in organismo quodam harmonia, horum turbatio intrat. — Systemate nervoso — quod edocent tremores — et in specie centro centrorum — ex nimia animi et mentis sub Sessione intentione (in casu concreto) defatigato, delassato, sistema circulatorium in individuo alioquin plethorico praedominium, principatum præ systemate nervoso acquisivit. Nunc sub

scalarum descensione ex domu, ubi Sessio erat, turgor sive sanguinis congestio major versus partes superiores adducta; sub ambulatione autem, etiamsi haec congestio pro parte sublata fuit, ventus ipsi valde adversus erat, hic iterum systematis circulatorii turbationem post se traxit, sanguis neque pulmones, neque cor bene permeare potuit, hinc stagnatio sanguinis in partibus superioribus, in cerebro; hinc defatigato jam cerebro, hoc vasculis nimie sanguine turgidis suetam resistentiam opponere non potuit, hinc dilaceratio vasorum, sanguinis effusio, et exinde suppressio functionum cerebali, quae ob cerebrum jam defatigatum eo major et gravior fuit. Functiones itaque cerebrales ex dupli causa, nempe ex haemorrhagico exsudato praesente et ex defatigatione praegressa pristinum robur recuperare non potuerunt, quin imo ex vera suppressione, exhaustio et plenaria flammae internae vitalis sublatio enata. Mortem, etiamsi remedia aptissima exhibita, esse subsequutam ex *Apoplexia nervosissanguinea*, quis adhuc amplius dubitet?

Observatio III.

Casus in divisione cel. Seeburger observatus, 1840.

Gotscheber Anton, 56 annorum, textor sericarius, staturaem mediocris, male nutritus, temperamenti sanguineo-cholerici, praeter exanthemata pueritiae infesta, etiam voriolas naturales in juventute regulariter decurrentes, est perpessus. Anno aetatis 21. et 22. Dialeipyra tritaea per longius tempus laboravit, quae tamen semper remediis rite adhibitis feliciter debellata et expulsa est. Ast paulo post exanthamatam ultimam dialeipyram, haemorrhoidibus, omni mense usque circiter ad annum 40. typice fluentibus, salutatus. Ceterum usque ad annum 46 semper sanus fuit, tantum alvo segni et oppilata, qua jam ex juventute laborat, saepius excru-

ciatus. Post annum 40 fortuna ejus florens subito exiit, et usque ad novissimum tempus non amplius rediit; ab illo tempore, licet quantum potuit laboravit, ex una tamen miseria in alteram incidit; rerum penuria summa pressus, cubile humidum, aëre corrupto repletum, inhabitavit; vino malo, cremato corrupto, noxio, cerevisiaque viscida, sat copiose usus; tenacia, glutinosa, ac pingua vescens, corpus ejus atque animam pedetentim destruxerunt; nam ex eo tempore factus morosus, hypochondriacus et melancholicus; ad anum apparuerunt mariscae, fluxus haemorrhoidalis, qui quo plures annos numeravit, eo magis irregularis fuit, intermittens et nonnunquam per longius tempus suppressus; ex hoc doloribus sacralibus, tensivis ad nucham et occiput se extendentibus, congestionibus versus enkephalon, cephalalgia frontali et occipitali obtusa, premente, vertigine, carebaria, visu hebete, obnubilatione saepius laboravit. Vili ast pendens aegritudinem, officiis suis adhucdum fungitur, oculos intendit, tres quatuorve candelas ad vesperas incendit, ut bene vide-re possit; ast omnia frustra, sub ipso labore muscae, scintillae, punctula nigricantia ante oculos volitabant, ita, ut morosus, delassatus, licet parum laboravit, sericum irratus sterneret. Cutis color pedetentim exortus pallide flavidus; respiratio difficilis, appetitus prostratus, sensus oppletionis et tensionis in regione ventriculi, dolores vagantes in regione hepatis, lienis et umbilici; alvinae excretiones mox durae restrictae, mox iterum copiosae, fluidae, statum ejus de die in diem pejorem reddiderunt.

His symptomatibus pedetentim increscentibus, mense Octobris anni 1839 in clinicum ophthalmologicum cel. Dom. Prof. Nob. a Rosas venit, quem, quum eodem tempore ordinarius ambulantium fuisse, suscep-i, et ex illo jam tempore observavi. Aeger stricte examinatus omnia supra enumerata symptomata accusavit,

sed gradus altioris, quam prius, et diagnosis facta:
Amblyopia amaurotica ex congestionibus
versus enkephalon in haemorrhoidario.
Ordinata sunt: cucurbitae cruentae Num. 6. ad ossis sa-
 cralis regionem, et 15. siccae juxta spinae vertebralis
decursum. Interne exhibitus pulvis haemorrhoidarius
 congestionesque mitigans, ex: Cremore tartaro, flori-
 bus Sulphuris, Magnesia carbonica et Saccharo con-
 flatus; evitet vinum, stimulantia, commutet labores,
 nutrimenta sint eupepta, ventriculum non gravantia; de
 die saepius bulbi aqua frigida vel glaciali adspérgantur
 et laventur, ter in septimana capiat pediluvium cum
 sale et pauxillo cinere commixtum. Licet modo enu-
 merata et alia tractu temporis adhibuit, tamen visus
 pristina vis atque activitas non amplius redivit. Alvi
 obstructio continua, debilitas et lassitudo saepius sponte
 absque ansa data intrans, visus turbatus, myodesopsia,
 photopsia, chrupsia ipsum coegerunt, Nosocomium
 generale adire, ubi in divisionem. Cel. Seeburger
 in Cubile 55. lect. 24. die 23. Septembris anni 1840
 suspectus fuit, et sequentem *statum praesentem* offere-
 bat: Cephalaea frontalis, obtusa, calor capitis modice
 adactus, visus valde hebes adcusatur, ex propin-
 quo objecta non bene discernere valet, pupilla dilatata,
 color ejus impure niger, sclerotica vasis venosis tur-
 gidis pertexta, cornea splendore sueto privata; lin-
 gua obiecta ex albo flavicante muco, appetitus prostra-
 tus, sitis modica, sapor limosus, ructus inodori; pe-
 culiaris agilitas et inquietudo in aegro observatur, ser-
 monem altum, sed valde citatum ducit; respiratio quid-
 quam accelerata, sed non laboriosa, percussio et aus-
 cultatio normales sonos edidit, abdomen modice ex-
 pansum, in regione ventriculi tensio adcusatur, alvus
 ex triduo haeret, urina parca turbida, pulsus quidquam ac-
 celeratus, calor cutis normalis. Diagnosis facta:

Gastrismus in individuo amblyopia amauratica laborante.

Ordinatum decoctum emolliens cum tribus drachmis salis amari; diaetam tenuem, lecti teporem et quietem servet; pro potu sumat aquam egelidam.

Die 24. Sept.

**Praeter heri observata symptomata,
morbi 2.**

mane vomitus materiae viridescentis, semidigestae accessit. Ad vesperas visus plane deletus fuit, objecta interdiu solum ex summo propinquo distingere valet; alvus semel in gratiam medicaminis deposita pultacea. In therapia nil mutatum.

Die 25. Sept.

**Nox erat valde inquieta, ex lecto
m. 3.**

exsurgere voluit. Mane quidquam quietum invenimus, facies trux, responsa tarda, cephalaea levis adcausatur, arteriae temporales fortiter vibrant, visus hebes, lingua muco obducta, sitis valde adaucta, appetitus nullus, respiratio accelerata, sed non laboriosa; percussio thoracis et auscultatio pulmonum nil abnorme offert; percussio autem in regione cordis instituta, in majori circumferentia, quam illa cordis, sonum obtusum edit; cordis ictus fortes, cardiopalmus; sub auscultatione in regione cordis et praecipue ad sinistrum latus sterni auditur strepitus, qui hinc inde cum sono folliculari commixtus est; in regione cordis dolor nullus, sed in epigastrio adcausatur, abdomen ceterum modice expansum, indolens; calor cutis adauctus, alvus haeret, urina parca flammee calor, cutis sicca, pulsus parvus, acceleratus. Diagnosis facta:

Endocarditis cum amblyopia amauratica.

Praeter decoctum anteheri praescriptum ordinatum: decoct. Salep cum paucis granis acidi tartrici pro potu, ut fervor internus compescatur; regioni cordis applicantur hirudines Num. sex, his deciduis

fomenta glacialis. — Ad vesperas multum febricitavit, inquietus, deliria temporaria, cardiopalmus vehemens, nisus in lipothymias et lipothymiae cito decurrentes. In therapia nil mutatum, tantum epithemata glacialis capiti adponantur.

Die 26. Septb.

— Nox valde inquieta, insomnia terribilis.

m. 4.

fica, deliria continua, mox quieta, mox furibunda, ex lecto aufugere voluit; mane aegrum in statu soporoso invenimus, vel hinc inde sui conscius erat, pupilla dilatata, oculi semiclausi, physiognomia quidquam alterata, senilis, facies in longum protracta, caput semper, licet in rectam lineam cum truncu ponitur, dextrorum movetur et ita directum, sitis aducta, appetitus nullus, respiratio quidquam citata, difficilis, sed auscultatio bona signa edit; strepitus major in regione cordis auditur, qui etiam digito adplicito praecipue in costae 5. et 6. lateris sinistri interstitio bene percipitur, sonus follicularis jam frequentius auditur, cardiopalmus perstat; urina involuntarie in lectum missa, alvus ex biduo haeret, calor cutis aductus, cutis sicca, pulsus frequentes, parvi. Therapia eadem permansit, tantum capillis in vertice abrasis unguentum *Authenriethi* inungatur. — Interdiu deliravit, de morte instantे loquutus, congestiones versus cerebrum validae, ceterum status matutinus. Regioni cordis ordinatum vesicans ut adplicetur, et retro aures hirudines Num. X.

Die 27. Septb.

— Nox valde inquieta, deliria; ad

m. 5.

horas lucanas status soporosus intravit, aeger truncus adinstar decumbit, responsa nulla, pupilla dilatata, palpebrae semiclausae, respiratio parum accelerata, difficilis, sed non sterterosa; percussio in magna cordis circumferentia valde obtusum edidit sonum; strepitus cessavit, sonus in ventriculis cordis sub

auscultatione mitior auditur; extremitates flaccidae, relaxatae, praesertim inferiores; urina inscie missa, pulsus accelerati, duriusculi. In therapia nil mutatum. — Ad vesperas status idem, sonus follicularis sinistrorum a sterno bene auditur.

Die 28. Septb.

— Deliria nocturna continua, adspectum. 6.

ctus singularis, oculi fixi, rigiditas colli, respiratio difficilis, cardiopalmus vehemens, in regione cordis sonus follicularis bene explicatus auditur, aeger truncus adinstar decumbit, alvus haeret, urina involuntarie missa, pulsus citatus. Epithemata glacialis capiti, cucurbitae cruentae cervici, sinapismi suris adponebantur, interne eccoprotica exhibita.

Die 29. Septb.

— Nocte inquietudo, deliria, faciei colum. 7.

lapsus, sitis valde adacta, loquela per vices obscura, balbutiens, respiratio sonora, dyspnoica, calor cutis urens, pulsus radialis 140, debilis, coprorrhoea et urorrhoea involuntaria, virium organicarum omnium lapsus. Nunc ex hora in horam status pejor intravit, facies hippocratica, respiratio orthopnoica, cutis viscidio sudore tecta, pulsus exiles, miuri, denique hora matutina 8. d. 30. Septb. mors.

E x t i s p i c i u m .

Corpus staturaे mediocris, caput canum, iris coerulea, collum longum, tenue, thorax planus, abdomen modice expansum, in regione cordis et aures retro inveniuntur plura punctula sugillata ex hirudinibus applicitis.

Calvaria oblonge rotunda, crassa, porosa; dura meninx tensa, parum sanguine scatet, sinus falciformis magnus crasso, coagulato; polyposo sanguine repletus, meninges internae quidquam incrassatae, san-

guine inopes, arcte gyros cerebri complanatos circumcingunt. *Substantia cerebri* mediocris consistentiae, pallida; *ventriculi laterales* suetam quantitatem seri continent; *plexus choroideus* pallide ruber; *glandula pinealis* mollis, crassam arenam continet; *in substantia medullari hemisphaerii dextri* in ejus postica parte residet, ad nucis juglandis magnitudinem, ex nigro-rubrum, mollem, congrumatum sanguinem continens, et cum cerebri substantia flavescente, ad duas lineas emollita, circumcincta, *cystis a p o p l e c t i c a*, quae antrorum tegumentum cornu posterioris ventriculi lateralis dextri dilaceravit, et *hoc cornu* cum sanguine semifluido, nigrescente, explevit; *in media cerebri substantia lobi posterioris hemisphaerii sinistri* residet quoque una fere ut faba magna, sanguinem fluidum, nigro-rubrum continens, *a p o p l e c t i c a cystis*, in hujus circumferentia cerebri substantia ad $1\frac{1}{2}$ lineam erat emollita, flavesiens, et se a reliqua medullari substantia bene distinguebat; parietes harum cystidum membrana tenui, cellulari erant obducti; *in sinibus basis cranii sanguis* crassus, fluidus, niger accumulatus.

Glandula thyreoidea pallide brunea; *membrana mucosa tracheae* pallida, cum viscido bruneo muco obtecta.

Pulmones ambo ad partem superiorem ope textus cellularis tenuis cum pleura costali connexi; *Pleura costalis* in posteriore lateris dextri parte ad costam sextam, septimam et octavam in thalari imperialis magni circumferentia in laminam crassam, osseam commutata; *substantia utriusque pulmonis* pallide rubra, exsanguis, tenax; quilibet *lobus superior* ad apicem in, obsoletis tuberculis pertextum, ad nucis juglandis regiae magnitudinem, crassum, densum, griseum *textum* commutatus; *lobi inferiores* coloris rubri profundioris et majoris sanguinis quantitatem continent; *pars inferior bronchi dextri* crasso, sanguineo-lymphatico, turbido

fluido repletus. *In pericardio* paucae guttulae brunescentis seri. *Cor hypertrophicum*; *cavum ventriculi sinistri* angustum, parietes ejus ad pollicem unum crassi, brunei coloris, densi; *valvulae bicuspidales* ad apicem turbidae, incrassatae, a flavescentibus cartilagineis masculis impletae; *in cordis cavis*, uti in iis vasorum majorum coagulatum et fluidum, sanguineo - lymphaticum fluidum accumulatum.

Hepar pallide bruneum, sanguine repletum, marcidum; *cystis fellea* magnam quantitatem bilis crassae, profunde brunei coloris continet. *Lien parvum*, pallide fuscum, densum. *Pancreas* flaccidum. *In ventriculo* accumulatum brunescens, mucosum fluidum, parietes ejus pallidi, tenaces. *Intestina* aëre repleta, materiam profunde viridem, pultaceam, foecalem continent. *Renes normales*, *vesica urinaria* libram urinae diaphanae continent.

Epicrisis.

Hic casus eo memorabilis, quia offert complicacionem Endocarditis cum Apoplexia sanguinea summe periculosam, et uti casus noster edocet, lethalem. Endocarditis semel jam praegressa — quod deducimus ex statu valvularum mitralium incrassato, nam haec plures dies expostulat — data occasione, quae nos latet, iterum recidiva facta et *fors apoplexiam* causavit; nam prima die, ubi aeger susceptus levis aderat Gastrismus, tertia die Endocarditis evoluta, et quarta die, verosimillime noctu, ubi semper major affluxus sanguinis versus cerebrum adest, insomniis terrificis exagitatus, repente ex lecto — referente parabolana — exsurrexit; sub repentina corporis commotione, vascula cerebralia alioquin sanguine nimis turgida, rupturam perpessa, inde haemorrhoea, inde deliria, inde status soporus, urinarum involuntarius mictus, extremitatum status paraliticus, conscientiae per vices abolitio. — Lectori benevolo fors ridiculosa erit haec explicatio,

„**Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed — officiumque fuit.**“

ut cum ingenioso Ramazzini loquamur, et lubenter gra-
tissimo animo quamlibet aliam, sed veritati quam pro-
ximam, explicationem assumimus et meminerimus tan-
tum verborum immortalis *Lucretii*, poëtae laureati ro-
mani, qui dicit:

„**Multa tegit sacro involucro natura: neque ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia: multa
Admirare modo, nec non venerare, neque illa
Inquires, quae sunt arcanis proxima. Namque
In manibus, quae sunt, haec nos vix scire putandum
Est procul a nobis adeo praesentia veri.**“

Mortem intrantem ex therapia neglecta nemo pu-
tabit; nam etiamsi therapia contra endocarditidem fuit
directa, quae etiam auxilium contra apoplexiam tulis-
set, tamen intrantibus primis signis, affectionem cerebri
designantibus — quam pro *Tuberculosis* acuta ha-
buimus — epithemata glacialis ad caput, unguentum
***Authenriethi*, et retro aures hirudines ordinavimus,**
quae omnia congestionem auferre deberent. Et quis
aliam instituisset therapiam sub tali morbi imagine? quis
a venaesectione, in tali subjecto, male nutrito, debili,
curis, aerumnis dejecto, debilitati et lassitudini, abs-
que ansa data sponte intranti, objecto; quis a purgan-
tibus, et toto apparatu antiphlogistico salutem speras-
set, sub tali exsudato haemorrhagico cerebrali, adyna-
mico statu minante et mox cointrante? — Si etiam haec
omnia non fuissent, individuum tamen erat haemorrhoi-
dibus per longius tempus detentum, quae suppressae
per longum tempus fuerunt. Haec suppressio congestio-
nes versus cerebrum validos, imo, si non plenariam
amaurosim, tamen amblyopiam amauroticam et magnam
dispositionem ad cerebri affectiones provocarunt, quae
curis, aerumnis, animi pathematibus deprimentibus
valde adauctae fuerunt. Data autem dispositione in

morbum quemdam, hic serius aut ocius, data causa excitante, in conspectum venit. — Quare in casu concreto apoplexia et non alia cerebri affectio accesserit, hoc nos latet? et ut cum verbis pulchris atque ingeniosis *Sydenhami*, in aeterna saecula vivente eloquamur: „Natura negotium suum quasi praeeceps aggreditur et quarumdam partium secretionem admodum perfectae solutionis peragit, priusquam universali separatione defungatur. Partes humorum ad separationem proniores praemature et cum vi aliqua alio transferuntur, ex quo mox Anginae, Peripneumoniae, Pleuritides aliaque ejus generis pestes succrescent.“ Licet hoc praeclarum effatum ad morbos solum acutos relatum, referendum potius esse ad omnes morbos putamus, et imprimis ad haemorrhoides, quae permulta mala organismo struunt. Per haemorrhoides medico male tractatas a — ut pauca loquar — pius Parens, quem mihi Deus optimus maximus dedit, bonus, amabilis, doctus, Praefectus in Caes. Reg. Gymnasio Ressoviensi etc. etc., cui pro educatione optima, quam mihi tribuere potuit, pio animo summas grates referre debo, ex apoplexia pulmonum de terra in coelum translatus. Mittamus haec tristia et loquamur potius cum *Horatio Flacco*, Lyrico, pleno jucunditatis et gratiae variis figuris, verbis et eloquentia felicissimo:

„Omnis eodem cogimur: omnium
Versatur urna: serius, ocius,
Sors exitura, et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.“

Sub talibus circumstantiis in casu nostro concreto oculus practicus sub primis symptomatibus cephalicis de felici hujus casus exitu desperavit. Mors non ex endocarditide solum, sed ex haemorrhoidibus suppressis, saltem irregulariter fluentibus et apoplexia gravi sanguinea inducta est.

Observatio III.

Casus in divisione cel. Seeburger observatus offerebat: Hemiplegiam ex praegresso insultu a poplectico.

Obendorfer Katharina, 57 annorum, operaria, robusta, habitu apoplectico donata, in statu soporoso, ex suburbio die 4. Octobris 1840 in Nosocomium generale, et quidem in cubile 79, lectum 12 deportata. De morbis praegressis, de causa et initio morbi praesentis nil neque ab ipsa aegra, neque a cognatis eruere potuimus, tantum hoc: quod ante duos dies horrore correpta, et repente humi concidit, cum conscientiae motusque voluntarii abolitione, facie rubra, spuma anteos. Ita per duos dies decubuit, redeunte tamen quidquam conscientia et motu corporis. Nos, quum ipsam suscepimus, invenimus aegram in statu semisoporoso decumbentem, cum facie rubra, turgida, fronte et toto capite calente; bulbi sanguine erant suffusi, pupillae dilatatae; carotides et arteriae temporales fortiter pulsabant; lingua muco crasso tecta, loquela tarda, balbutiens: conscientia non penitus abolita, memoria erat hebes, judicium tardum, animus indifferens; respiratio difficilis, per vices sterterosa; abdomen tensum, indolens, tremor extremitatis superioris dextrae, brachium sinistrum femurque paralyticum, frigidum; calor in latere dextro corporis aductus, alvus et urina involuntarie secedit, pulsus latus et fortis.

Epithemata glacialis capiti, cucurbitae cruentae cervici, sinapismi surris adponebantur; retro aures hirudines Num. 10, et interne exhibitum decoct. flor. Arnicae ex drachm. duab. ad col. unc. octo, cui additum Tart. emetic. gr. tria, cum Sign. omni bih. cochl. duo cib. sumenda; pro potu aqua egelida, pro victu juscula carnium tenuia.

Symptomata supra enumerata per aliquot dies eodem tenore perstabant; dein symptomata paralyseos partium enumeratarum magis increverunt, associarunt

sese deliria continua diurna, nocturnaque, sphincterum plenaria resolutio, respiratio stertorosa, laboriosa, inquietudo continua, jactitatio; aegra jacuit cum facie truce, capillis solutis, demissis, inordinatis, adspectus horribilis, quasi a *Tisyphone* vel alia quavis furiarum agitata fuisset; pulsus erat debilis; accessit insuper decubitus gangraenosus, supra magnam podicis plagam extensus.

Praeter bis repetitas sanguinis depletiones locales hirudinum ope, exhibitum interne decoct. flor. Arnicae ex drachm. duab. ad col. unc. octo, cui addita Camphorae, mucilag. gummm. arab. subactae grana duo, et ordinatum, ut aegrae omni bihor. cochlear cib. exhibetur, et plaga gangraenosa inspergatur pulvere carbonis vegetabilis subtilissimo et insuper obtegatur epithematibus calidis, in infuso herbarum aromaticarum tinctis; capiti diligenter adplicantur fomenta glacialia. Ast, licet cum summa diligentia diu noctuque totus apparatus hippocraticus adhibitus, frustra erant omnia, aegraque remansit victima nil miserantis Orci.

Necrotomia

altera die, i. e. 15. Octobris instituta sequentia offerebat:

Corpus parvum, quidquam emaciatum, capilli nigri, iris coerulea, collum longum, thorax amplus, convexus, abdomen expansum.

Calvaria elyptica, crassa, compacta; *dura mater* tensa, vasa ejus modice sanguine repleta; in *sinu falciiformi magno* ex nigro ruber coagulatus sanguis, in *falce magna* et quidem in posteriori ejus parte inventiuntur plura acuminata fere ad magnitudinem pisi evoluta *ossea concrementa*; *membranae cerebri internae* i. e. pia meninx et arachnoidea, quidquam incrassatae et turbidae, sero flavescente infiltratae; yasa piae matris sanguine turgent; *haemisphaerium cerebri dextrum* quidquam globose propulsum, ejusque gyri praecipue retror-

sum complanati; substantia cerebri densa, tenax et pallida; ventriculi cerebri laterales compressi, suetam quantitatem seri flavescentis continent; in parte posteriori *corporis striati dextri* et in profundo partis adjacentis hujus hemiphaerii latebat, magnitudinem nucis juglandis exsuperans, sanguine profunde rubro, coagulato, et sero sanguinolento referta *caverna apoplectica*; substantia cerebri in hujus circumferentia praecipue inferius in *massam rubiginosam*, mediocriter consistentem, densam, commutata; *plexus choroidei* pallide rubri; *glandula pinealis* subtilem arenam continet; *basis cranii* sicca.—*Quantitas exsudati haemorrhagici* continebat plus quam tres uncias.

Glandula thyreoidea parva, tenax, dextra tumorem cysticum magnitudinis nucis juglandis continet; in *trachea* mucus griseo-puriformis accumulatus.

Pulmo dexter liber, *sinister* in apice textus cellulosi ope cum pleura connexus; in *cavo thoracis sinistro* circa duas libras fluidum flavidum, turbidum, puriforme accumulatum; *ambo lobi pulmonum superiores* pallide rubri, aëre expansi; *lobus superior dexter* sanguine inops, *sinister* vero spumante repletus; *lobus inferior dextri pulmonis* profunde ruber, sanguine repletus, *bronchia ejusdem lobi* spumante sanguine lurido et muco viscido repleta, et circa apices horum bronchiorum invenitur in *lobi inferioris pulmonis dextri* parenchymate materia grisei coloris, puriformis, cum sanguine tintata.—*Pericardium* suetam quantitatem seri continet. *Cor magnum*, crassum, firmum profunde tintatum, in ejus cavitatibus, uti et in illis vasorum majorum aderat magna sanguinis ex nigro-rubri, coagulati, quantitas accumulata.

Hepar coloris rubro-brunei, marcidum, sanguine infarctum, *vasa ejus bilifera* dilatata, *trombis* firmis, ferre osseis, flavidis, biliformibus repleta; *cystis fellea* paucas bilis viscidae, crassae, guttas continebat; *Lien*

parvum, fere atrophicum, pallide bruneum. Pancreas normale. Ventriculus modice contractus materiam flavidam mucosam continebat, membrana ejus mucosa pallida; intestina foecibus oppleta, nil abnorme offerebat, sic et renes, vesica urinaria, uterus, nec non ovaria.

Corollaria.

1. Paralysis in corporis latere sinistro residens, causam in encephali latere opposito offerebat.

2. Hoc exsudatum sanguineum coincidit cum illa sententia cel. *Cruveilhier*, qui dicit: „quod exsudata sanguinea, in haemorrhoea cerebri, non in parte corporum striatorum anteriori, sed maxime et saepissime in ejus cauda obveniant.”

3. Comparatione facta symptomata morbi decurrentis inter et extravasatum, illa valde excedebat, et ad magnum extravasatum et grandes devastationes cerebri nos concludere siverunt. — Hoc nobis aliter explicare non valemus, nisi ex sensibilitate — in casu concreto — systematis cerebralis ita evoluta et adacta, ut nec minimam irritationem — quam extravasatum, qua corpus peregrinum, provocare debuissest — perferre potuisset, hinc illa deliria, status furiosus, paralysis gravis lateris sinistri. Nam vidimus casum, etiam triste decurrentem, ubi extravasatum sanguineum in superficie hemisphaerii cerebri dextrii plus, quam quatuor uncias continebat, et extremitatum inferiorum et superioris sinistrae status tantum pareticus adfuit. — Fors haec symptomata eo intensa fuerunt, quia *cauda corporis striati* sedes haemorrhagiae fuit? — Ast quis mortalium functiones cerebri stricte enucleare valeat? „Patet,” ut cum eximio *Seneca*, Philosopho post *Ciceronem* primo romano, loquamur, „omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illis etiam futuris relicum. — Multum adhuc restat operis, multumque restabit: nec ulli nato post mille secula praecludetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi.”

Observatio IV.

Casus in clinico medico Pragensi anno 1837 observatus,

Stiller Katharina, 56 annorum, femina robusta, plethorica, habitus apoplectici, semper sana, si Pneumoniam bis exantlatam, et feliciter tractatam, excipias. Fluxus catamenialis usque ad ann. 45. fuit normalis, dein absque malis sequelis cessavit. Nunc ex tribus annis kephalaea sine causa nota, per vices remittente, et dein iterum crescente vexatur, quae autem ex anno continuo plus minusve vehementer saevit. Kephalaea est universalis, ardens, per vices cum dolore punctorio conjuncta, per vices remittit, semper tamen ad vesperas — ob congestiones ex regula majores versus cerebrum — cum ardoris interni sensatione vexat. Functiones mentales normales, sic et functiones sensuum externorum. Pedetentim Kephalaee sese adsociavit vertigo et corebaria, pree oculis muscarum, scintillarum coloris albicantis obvolitatio, et visus hebes observabatur; extremitates fuerunt illo tempore ab omni labe immunes. Visus tamen de die in diem decrevit. Ante 10. hebdomades tristitia summa ex visu abolito correpta, diu noctuque flebat, quod, etsi remedia assumeret, nulla visus emendatio intraret. Sub hoc animi pathemate, praesente plethora universali, insultu apoplectico correpta: conscientia penitus fuit abolita, conjunctiva vasculis injecta, pupilla dilatata, facies livida, coerulea; os obliquum, simulque lingua ex ore oblique prominebat; stupor extremitatum, ingressus difficilis; alvi et urinae involuntaria depositio. Sub his circumstantiis in Nosocomium generale deportata, ubi die 15. Octob. 1837, in scholam medico practicam suscepta, et rigorosiori examini subjecta fuit:

Status praesens. Cranium a lateribus compressum, ceterum normale, kephalaea modica, ardor internus nul-

lus, nec sub pressione dolor capitis adcausatur, calor in fronte sinistra adauctus, carebaria levis; judicium tardum, memoria hebes, conscientia adest, sed valde debiliis, loquela tarda, interrupta, balbutiens, omni momento fletus intrat ob visum deperditum; palpebra superior oculi sinistri paralytica, conjunctiva parum rubet, pupilla dilatata, candela ardens, oculis praeposita, motum iridis non concitat, neque aegra ipsam videre valet; caput ad sinistram spectat, si aegra jacet, sub incessu ad latera non vergit; ingressus latus, vacillans, quasi ebria foret, cum capite antrorsum inclinato; facies senilis, arteriae temporales fortiter pulsant, aurium surrus, angulus oris sinister sursum et extrorsum tractus, lingua vero dextram versus flexa, muco obducta, appetitus prostratus, sitis adaucta, dysphagia levis, licet velum palatinum et fauces inspectae statum ostenderunt normalem; antequam advenerat, erat nisus in vomitum; labium inferius detractum, os apertum; sub decursu columnae vertebralis dolor nullus adcausatur; vene jugulares turgent, carotides fortiter vibrant; respiratio placida, inspirium profundum concessum; abdomen grande, pastosum, tormina per vices adcausantur, alvus diarrhoica, urina parca, cutis calor adauctus, cutis sicca, pulsus frequentes, fortes, duri. Concussiones corporis per vices validae, tremores musculorum, extremitas superior dextra et inferior sinistra debilior, sensus formicationis artuumque stupor, tactus tamen viget.

En! Enkephalitidem chronicam accedente insultu apoplectico et amaurosi.

Ordinata: Venaesectio ad uncias decem, hirudines retro aures Num. 12., epithemata glacialia ad caput, interne exhibitum infusum folior. Sennae cum sale Glau-
beri et Syrupo simplici. — Decursus nil memoratu dignum offerebat; tantum hoc monendum, quod insultus apoplecticus bis rediit, et quidem alter vehementior al-

teri, ubi paralysis extremitatum plenaria intravit, dysphagia, respiratio difficilis, stertorosa, loquela valde obscura. Symptomata nunc enumerata, licet methodus antiphlogistica, omniaque cetera remedia, contra hoc malum proficua summa cum diligentia adhibita, ex die in diem pejora evaserunt; accesserunt deliria furibunda, sublatio functionum mentalium, inquietudo, ejulatus, fletus, tandem novo intrante insultu, status soporosus, respiratio stertorosa, anhelans, facies hippocratica, sudores universales, frigidi, viscidi, loquela et deglutitio denegata, urinae et alvi involuntarius secessus, pulsus inaequalis, intermittens, filiformis et mors tristem scenam claudebat.

Extispicium.

Cranio aperto, in calvariae lateris dextri interna facie ossis temporalis aderat plaga aspera, elevata, ad duas lineas et ultra crassa, erat tumor osseus, sive exostosis, quae cum dura matre adjacente firmiter cohaerebat; *glandulae Pachioni* secundum sinus falciformis magni decursum supra duram matrem ita prominebant, ut calvariam hinc inde in locis correspondentibus perforarent; *vasa durae matris* sanguine scatebant, in sinu falciformi superiore modica tantum quantitas sanguinis semicoagulati, sed valde evolutae glandulae *Pachioni*; in pia matre nullum exsudatum, vasa ejus in hemisphaerio cerebri sinistro sanguine magis turgebant, quam in dextra. Superficies interna hemisphaerii cerebri dextri oblique ex dextro sinistrorum directa. In media dextri cerebri hemisphaerii parte aderat fungus medullaris ad magnitudinem ovi gallinacei, qui cum dura matre, in illo loco, ubi exostosis in interna facie calvariae residebat, intime connexus erat. Hic fungus se fere usque ad cerebri ventriculum dextrum lateralem extendebat, et cum substantia cerebri adiacente per filamenta tenuia cellulosa et vascula rara, te-

nuia cohaerebat. Substantia cerebri in circumferentia hujus fungi erat emollita et vasculis quidquam ditior, quam in reliqua parte. *Corpus callosum* ex dextro sinistrorum incurvato arcu decurrit; *substantia medullaris* tegumenti lateralis ventriculi cerebri dextri firma et tenax; *ventriculi cerebri laterales* et praecipue dexter magis, quam sinister, dilatati, sero flavicante repleti; *plexus choroidei laterales* quidquam injecti; *fornix*, *septum pellucidum*, et *corpus callosum* valde tenacia et duriuscula sub ad tactu; *corpora striata* normalem consistentiam offerunt. *Thalamus nervi optici dextri* profundius jacet et diameter ejus ex uno latere in alterum minor, quam ille thalami sinistri; facies thalami dextri interna obliqua ex dextro sinistrorum et oblique decurrit, est quidquam convexa; facies interna thalami sinistri quoque oblique ex sinistro dextrorum decurrit et quidquam excavata est. *Thalamus nervi optici dextri* in parte posteriore *emollitus* ad magnitudinem nucis magnae avellanae, et in hac emollita substantia reclusum extravasatum sanguineum magnitudinis pisi magni. *Thalamus nervi optici sinistri* normalem consistentiam offert. *Nervus opticus dexter* ex ortu usque ad chiasma nervorum opticorum ex dimidia parte tenuior, quam in statu normali, grisei rubelli coloris. *Nervus opticus sinister* magis atrophicus, quam dexter, qui etiam in comparatione cum nervis opticis hominis sani *atrophicus* apparet; *ex chiasmate* autem nervi optici egressi ita in evolutione et crassitie retardati, ut nervus opticus dexter usque ad bulbum magis atrophicus, quam sinister appareat; etiam *chiasma* nervorum opticorum atrophicum, minorem quantitatem substantiae medullaris continet. In parte sinistra sinus transversalis sinistri aderant, cum dura matre intime connecta, nonnulla fere ad magnitudinem pisi evoluta corporacula rotunda, quae membranosa capsula circum-

cineta, partim materiam crassam, flavescentem, puriformem, partim substantiam pultaceam, griseam continebant; in hoc loco lobus cerebri magni posterior cum dura matre firme cohaerebat. Pons Varolli, medulla oblongata, et cerebellum nil abnorme offerebant.

Glandula thyreoidea tumores cysticos continebat; *membrana mucosa laryngis* et *tracheae* normalis.

Pulmones sanguine inopes, in parte superiore et anteriore quidquam emphisematici, ceterum normales. *Pericardium* normale, cochlear coffeanum seri flavicantis continebat. *Cordis* magnitudo normalis, ventriculi ejus parvam quantitatem sanguinis nigrescentis semi-coagulati continebant; valvulae cordis omnes normales, praeter quod *valvularum semilunarium aortae* noduli *Arantii* majores et cartilaginei erant.

Hepar quidquam marcidum, ceterum normale; *Cholecystis* modice extensa a profunde brunea, viscidabile. *Splen* in pluribus locis *residua inflammationis topicae* praegressae offerebat, ex transciisis his locis effluxit fluidum ex albo-flavidum, puriforme. *Pancreas* normale. *Ventriculus* collapsus et uti *tractus intestinalis* normalis. *Organa ad se- et excretionem urinae contribuentia* normalia. *Uterus* normalis. *Ovaria* corrugata eorum stratum fibrosum valde incrassatum; in ovario dextro unus ad magnitudinem pisi excrescens *fibrochondroides*.

Epicrisis.

Quo morbo aegra defuncta sit, vix dubius quis haerebit. Diagnosim enim, quam computatis symptomatis, dum aegra suscipiebatur, conspicuis, statuimus, morbi decursus confirmavit, extispicium vero extra dubii aleas posuit. — Sed ad tam magnas cerebri devastationes, ad exostosim cranii internam, fungum medullarem cerebri et durae matris, statum atrophicum nervorum opticorum, emollitionem thalami nervi

optici dextri, in qua extravasatum sanguineum adfuit, obsessionem durae matris corpusculis — quae pro resolutis fungis medullaribus habemus — ex symptomatis, in conspectum provenientibus, concludere non potuimus; ut cum eximio *Hallero*, Physiologo, Botanico, Poëta, breviter, in quo hominum multorum mens in unum quasi collecta fuit, loquamus:

„Ius In'a're der Natur dringt kein erschaff'ner Geist!
Wohl dem, dem sie die äuss're Schale weis't.”

Corollaria.

1. Etiam deprimentia animi pathemata ad gignendam apoplexiā contribuunt, vide etiam **Observ. II.**

2. Phlogosis organi, chronica labe — fungo medullari — detenti, non semper solvitur per crises solennes, quin imo, illa ab hoc semper de novo excitatur.

3. Complicatio apoplexiae cerebralis cum amaurosi (vide Observat. II.), et cum nervorum opticorum atrophia, non ad rara spectat exempla.

4. Sub tam magna cerebri devastatione, licet symptomata gravia, tamen adhuc graviora in conspectum venire debuissent.

5. Facies hippocratica, respiratio difficilis, ster torosa, anhelans, sudores universales, frigidi, viscidi, loquela denegata, dysphagia et impossibilitas deglutendi, urorrhœa et coprorrhœa involuntaria, signa praebent apoplexiae funesta.

Observatio V.

Casus in clinico medico Pragensi anno 1837 observatus ideo notatu dignus, quia sub omnibus symptomatis Apoplexiae Pulmonum (*Cruveilhier*) propriis incedebat, et sectio tamen Apoplexiā cerebri offerebat.

Maria Duschek, 36 anni., robusta, succiplena, in Nosocomium die 23. Novembris ex urbe deportata.

Anamnestica aegra referre non potuit ob memoriam valde hebetem, tantum quod ex cognatis eruere possumus, erat: quod menstrua per aliquot menses silebant et haemoptoë semel laboravit. Morbus praesens — secundum eorum relationem — absque causa nota heri incepit cum nausea, ructibus, vomititionibus et vomitu ingestorum et statim post vomitum haemoptoë intravit, sanguis spumosus, clarus, ruber, magna quantitate ejectus, post haemoptoëm lipothymica facta et convulsionibus correpta extremitatum superiorum, extremitas inferior dextra paretica facta. Die 22. Novbr. haemoptoë bis reiteravit. Praeterea cognati edixerunt, ut ipsis videatur, aegram esse in quintum mensem gravidam. In Nosocomium meridie delata, statim phlebotomia ad uncias duodecim facta, hirudines Num. XXX. ad frontem et retro aures ob congestiones versus caput applicatae, clysma ex aqua, aceto et oleo injectum, sinapismi brachiis imposita.

Post duas horas in praesentia Auditorum medicinae practicae rigorosius aegra observata, sequentia praebuit: Aegra in statu soporoso et fere haemisphyctico decumbit, manus saepius capiti admovet, inquieta, conscientia abolita, facies rubet, turget, oculi sanguine suffusi, pupilla non dilatata, arteriae temporales et carotides modice pulsant, orificia narium sanguine exsiccato conspurcata, labia tecta sanguine coagulato, exsiccato, spuma ante os sanguinolenta, respiratio citata, laboriosa, stertorosa, latus dextrum minus movetur, quam sinistrum, dyspnoëa, percussio ubique edit sonum obtusum, sub auscultatione auditur in parte thoracis dextra tum in antica, tum in posteriore ejus facie respiratio puerilis, in sinistra parte sibilus et fere nulla respiratio; cordis pulsus citatus, manifestus, vehemens, fortis; abdomen expansum, molle, calor cutis adactus, cutis sudat, urina et alvus involuntarie secessa, pulsus frequentes, parvi, exiles.

Sub ipsa visita abortus intravit, foetus quatrimestris cum velamentis suis et insimul cum placenta ex sinu materno expulsus. Ex venaesectione facta plane nullum levamen intravit, sanguis e vena missus offert coagulum firmum, largum, cum exigua crusta phlogistica tectum, seri quantitas parca. Diagnosis facta: **A p o p l e x i a p u l m o n u m c u m a b o r t u . T h e r a p i a :** Ordinata venaesectio ad uncias decem, sinapismi ad pectus, maniluvium, si serius paralysis pulmonum incresceret, repetatur depletio sanguinis, sed localis per hirudines, epithemata frigida ad caput et interne mixtura salina. Nocte haemoptoë larga intravit et hora ter-tia matutina **24.** Novbr., licet adhuc semel venaesectio reiterata, mors.

Necrotomia

altera die instituta, sequentia offerebat:

Cranio aperto, dura mater tensa inventa, vasa ejus sanguine copioso nigrescente turgebant; arachnoidea turbida; in parte sinistra hemisphaerii sinistri sub dura matre invenitur exsudatum largum, sanguineum, coloris nigricantis, ad magnitudinem palmae manus sese extendentis, enatum ex rupta vena in parte anteriore piae matris transcurrente; substantia cerebri normalis; ventriculi laterales modicam quantitatem seri flavescentis continebant; pons Varolli et medulla oblongata valde emollita; cerebellum normale, sed vasa ejus sanguine copioso scatebant, sinus transversalis durae matris praecipue in latere dextro copioso sanguine coagulato repletus. — Quantitas exsudati haemorrhagici in superficie cerebri quinque uncias superabat.

Glandula thyreoidea volumine duplo aucta, ceterum normalis; membrana mucosa tracheae et laryngis pallida, muco copioso spumante, sanguine tincto, repleta.

Pulmo sinister liber, dexter ope textus cellulosi cum pleura connexus; substantia pulmonum quidquam

oedematoso, lobus superior pulmonis dextri quidquam emphysematosus, lobus inferior ejusdem pulmonis sanguine nigro repletus et oedematosus; ceterum substantia pulmonum nullas abnormitates offerebat, praeter quod *in bronchiis lobi inferioris pulmonis dextri* sanguis semicoagulatus nigrescens inventus, locum autem — nam hic adesse debet — ubi ruptura vasculi contigit, aut vasculum ruptum, nullo modo invenire potuimus. In pulmonibus tubercula nulla aderant. Cavum thoracis nil continebat. *Pericardium* normale. *Cor hypertrophicum*, ventriculus sinister vacuus, *atrium sinistrum massam polyposam* continebat, sic quoque cavitates cordis dextri massa polyposa erant replete, substantia cordis normalis.

Jecur valde hypertrophicum, in ejus superficie praesertim sub lobi dextri lamina serosa adsunt plures *echymoticae plagae* a magnitudine fabae usque ad illam vigesimarii imperialis, substantia hepatis normalis modice sanguine repleta; *cystis fellea* bilem nigram, viscidam continet. *Lien* normale, sic *pancreas* et *renes*. *Uterus* extensus, cavum pelvoe explet, et sese usque ad duos pollices supra symphysis ossium pubis extendit; facies ejus posterior peritonealis rubet ex vasis sanguine turgidis, facies interna uteri mucosa sanguine nigro coagulato obducta. *Vesica urinaria* parvam quantitatem urinae turbidae continebat. *Ventriculus* et *intestina* nil abnorme offerebant.

Epicrisis.

„*Quidquid evenit in rerum natura, causam habeat necesse est. Si nullam reperies, illud tamen exploratum habeto, nihil fieri posse sine causa,*” ut cum *M. Tullio* loquamur, sed quomodo exploramus causam, quomodo genesim morbi in casu concreto explicamus? *hoc sensibus nostris magno velamento obiectum.* Certe, causa aderat, sed qualis? fors animi pathema valde

excitans, ira e. g., per quam subito sistema cerebrale excitatur, circulusque laticis vitalis per canales suos celeri passu pellitur. Sub hac cordis ope, celeriter et cum majori vi ac consuetim sese contrahentis, majore sanguinis undae propulsione, sub hac ebullitione quasi totius organismi: 'P̄n̄ξ̄s vasorum cerebralium, 'P̄n̄ξ̄s vasorum pulmonalium inducta, et en! duplice haemorrhagiam. Si haec explicatio falsa esset, praeterea ipsam, benevole lector, non irato animo, et demisso animo cum *Sydenhamo* confitemur: „Tantum abest, ut ad artem medicam vel pervenerim ipse, vel me putem pervenisse. Mecum habito et novi, quam sit mihi curta supellex!“ — Quare in individuo nostro sub therapia supra adducta tam celeriter mors intravit, quis hoc enucleare valeat?

„Contra vim mortis, non crescit planta in hortis.“

Schola Salernitana — de Salvia.

Corollaria.

1. Quam difficile nonnunquam sit, ut diagnosis firma atque stricta statuatur, casus noster edocet.

2. Hic casus quoque edocet, commutationem apoplexiae cerebralis cum apoplexia pulmonum facillime esse possibilem; attamen a medico bene distinguente, facile uterque morbus eruitur, cognoscitur et distinguitur. (Vide differentias a morbis analogis.)

3. Verum atque verum est *Hippocratis* effatum (*Aphor. Sect. V. XXX—XXXI*): Mulierem uterum gerentem ab aliquo acuto morbo corripi, lethale est.— Mulier uterum gerens secta vena abortit, eo magis, si major fuerit foetus. — Hoc effatum jam per secula comprobatum; hinc utero-gravido phlebotomia non est instituenda. Sed ubi periculum in mora, ubi ipsius mulieris vita summe periclitatur, tum ad hanc conservandam — quia civitati adhuc plures proles edere valet —

foetus — fors jam emortuus — vilipendendus, et phlebotomia est instituenda. — Tum notum est ex experientia, mulier, faciat, quid velit, si non disposita ad abortum, certe non abortiatur, nisi uterum et foetum instrumentis pungentibus, scindentibus laceret; et tum quaestio erit? an abortus semper in conspectum veniat — hinc, ut ad nostrum thema veniamus: si mulier grava malo aliquo affecta erit, quod necessarie sanguinis depletiones universales expostulat, hae instituendae, et si non disposita erit ad abortum, hic non intrabit, et mater et foetus sic salvantur.

4. Pupillae conditio sub Apoplexia sanguinea non certum praebet signum edicente jam *clar. Neumann*, et quod hic casus, et **Observ. IX.** edocet.

Casus complures, Apoplexia sanguinea terminatos, in quibus extravasata sanguinea, post laesiones capitis, fracturas ossium cranii etc., enata, Vindobonae, in divisione aegrorum Cel. Primarii Dr. Schuh, dexterima manu et cum felicissimo eventu operantis, inter quos praecipue casus unus excellit, ubi ex lapsu in verticem capitis pars petrosa ossis temporalis in duas partes fracta fuit; et Pragae in clinico medico - chirurgico observavimus.

Observatio VI.

Casus eo memoratu dignus, quia, sub cura hydrothoracis, hydrocardiae et ascitis, queis unus vir quadagenarius erat detentus, quaeque mala feliciter terminabant, repente ex terrore apoplexia serosa et mors intravit. Sectio diagnosim statutam comprobavit, et innumera tubercula pulmonum dura et mollia, praeterea *tubercula peritonaei et velamenti serosi tractus intestinalis monstravit*.

Observatio VIII.

Casus in clinico medico Pragensi anno 1837 observatus.

In hoc casu, — Lud. Kl. 28. ann., femina robusta, habitu apoplectico donata, — Diagnosis statuta: **A p o p l e x i a s a n g u i n e a.** Casus nil usque ad mortem memoratu dignum offerebat, quare haec omnia mittimus et tantum

Necroscopiam

adducimus, quae nobis memoratu digna esse eo videatur, quia:

1. Apoplexia serosa adesse potest, et tamen symptomata apoplexiae sanguineae offert.
2. Quia exsudatum largum in thorace, pericardio adesse potest, quin functio pulmonum et cordis turbata sit, et symptomata morbosa offerat.
3. Quia cordis et aortae vitia organica, jecinoris et splenis hypertrophia cum apoplexia complicatae esse possunt.

Ossa cranii compacta, firma, os frontale valde crassum; dura mater firmiter cum calvaria cohaeret, tensa, ceterum nil abnorme offert; gyri singuli cerebrales anguste juxta se positi; vasa piae matris modice sanguine repleta, in hujus superficie aderat leve exsudatum seroso-lymphaticum. Substantia cerebri normalis serose infiltrata, vasa ejus modice sanguine infarcta. Ventriculi cerebri laterales sero flavidus, quatuor unciarum repleti; plexus choroidei laterales modice sanguine turgebant. Vasa cerebelli multum dilatata, sanguine infarcta ex nigro-brunescente, substantia cerebelli tota quanta emollita. In cranii basi exsudatum largum, serosum, flavescens, diaphanum ad quinque uncias accumulatum.

Cavum thoracis dextrum pro maxima parte sero flavescente erat repletum. Pulmo dexter in parte po-

steriore cum sacco pleurae ope pseudomembranae concretus; substantia ejus firma, oedematoso; *substantia lobi inferioris* pulmonis ejusdem lateris valde tenax et compressa. *In cavo thoracis sinistro* aderat libra una seri flavescentis turbidi accumulata; *substantia pulmonis sinistri* firma, oedematoso, lobus inferior secundum partem anteriorem marginis inferioris emphisematosus. — *Pericardium* valde extensum libram dimidiam seri flavescentis continebat. *Cor hypertrophicum, lumen aortae,* in media ejus arcus parte minus, angustius, quam lumen trunci arteriae pulmonalis. *Parietes cordis* ventriculi dextri ex triplo volumine aucti et valde dilatati; valvulae tricuspidales cordis, et semilunares arteriae pulmonalis normales; *ventriculus cordis sinister* quidquam angustus, *orificium venosum sinistrum* ita angustum, ut apex digitii minimi vix intrare valeat; *valvulae mitrales* usque ad apicem concretae, *filamenta muscularum papillarium* valde abbreviata, crassa, inter se concreta, dura, fere ossea.

Hepar hypertrophicum, consistentiae normalis; *cystis fellea* parum extensa, parcam quantitatem bilis flavidae, viscidæ, continebat. *Lien hypertrophicum*, consistentiae normalis, sub transscissione granulosum apparet. *Substantia renum* dura, sanguine infarcta; in superiore parte *renis dextri* aderat, ex praegressa inflammatione, substantia cartilaginea flavescentis accumulata. *Pancreas, ventriculus, tractus intestinalis* et *uterus* normales.

Observatio VIII.

Hic casus Pragae anno 1838 tempore veris observatus.

Vir 38 annorum, plethoricus, sed non habitus apoplectici, bene pastus, coitum immodicum in meretrice vulgari exercebat et sub ipso coitu effreni morte apoplectica est multatus.

Sectio forensis instituta laesiones corporis externas nullas offerebat. Cranio aperto meningis durae vasa nec non ejus sinus modicam quantitatem sanguinis semicoagulati continebant, meningis piae vasa sanguine scatebant, sed non in ea quantitate, uti in aliis a nobis observatis casibus — ; substantia cerebri normalis consistentiae, vasa ejus collapsa sanguine orbata; ventriculi cerebri laterales paucas guttas seri cum sanguine quidquam commixti continebant; plexus choroideus normalis; substantia cerebelli normalis, vasa ejus parum sanguine infiltrata; basis cranii sicca; sinus transversales modice sanguine nigrescente repleti.

Sectio thoracis et abdominis nil memoratu digni offerebat, praeter quod in abdomine hepar erat hypertrophicum, sed consistentiae normalis, et in ventriculo aderat fluidum viscidum, spirituosa, vinumque redolens, cum nutrimentis crudis commixtum.

Epicrisis.

In hoc casu, si apoplexiam solum ex turgore vasorum piae matris et ex exsudato levi ventriculorum derivare vellemus, ausum quidquam fuisset. Assumendum potius: Apoplexiam inductam fuisse ex nimia intentione virium; — nam coitus nimius plus systematis nervosi intentione, quam humoris jactura nocet. — Hanc intentionem nimiam exceptit exhaustio virium, et praesente debilitate in una parte major sanguinis — versus illam — hic versus cerebrum affluxus inducitur, hinc recte edicere possumus: „hominem hunc Apoplexia nervoso-sanguinea obiisse.” Praeterea vir hic, priusquam meretricem adiisset, Spirituosis abusus, nam in ventriculo fluidum, crematum vinumque redolens, invenimus. Usus autem spirituosorum, normam excedens, et vis spirituosorum non primarie sistema sanguiferum, sed sistema cerebrale, imprimis nervum pneumogastric-

cum et per hunc cerebrum ipsum afficit. Per ea cerebrum quatitur et debilitatur, vires profligantur, ingenium pristinum labascit, et sensuum stupor intrat; per ea languor vitalitatis et motuum stupor adducitur, fatigantur et illae nervorum propagines, quae in textus nobiles desinunt, nervi nimirum motores, ex qua tremor artuum — bibonibus consuetus — qui tremor sensim sensimque in paralysim desinit. — Si vires hebetatae, hebetantur et operationes organismi, ab iis provenientes, hinc circulatio — unde motus segnis sanguinis per pulmones in ebriis, — et assimilationis opus secundario modo per spirituosa adficiuntur. — Si itaque causa procataretica ad Apoplexiā nervosam data per spirituosa, et si alia causa accedat, quae systema cerebrale vehementissime afficit, coitus nempe nimius, — tum ex dupli rationi, ut cum *Petro Frankio* loquamur „paralysis capitalis” sive apoplexia nervosa inducitur. Quum autem congestiones versus cerebrum sub coitu immodico non denegare non possimus, quin imo affirmemus, hinc etiam *haec congestio et leve exsudatum seroso-sanguineum* ad Apoplexiā nervoso-sanguineam gignendam contribuit.

Observatio IX.

Casus in Austriae Metropoli anno 1840 observatus.

Anna Lachmann, femina 45 annorum, constitutionis firmae, temperamenti sanguineo-cholerici, habitus plethorici, praeter morbos aetati infantili familiares, varioloides, 16. aetatis anno, feliciter recurrentes, pertulit.

Menstrua prima aetatis 13. anno est experta, semper dein et parcus fluentia et cum doloribus hypogastricis majoribus redeuntia. Ex annis pluribus — circa 20, secundum matris ejus relationem — cephalaea dira, interdum mitiori, interdum vehementiori, vertigine saepe

intolerabili, scintillarum, muscarum obvolitatione, per vigiliis, insomniis terrificis, pectoris oppressione, spirandi difficultate, dyspepsia, cardiopalmo, anxietate praecordiali, extremitatum inferiorum stupore, et debilitate magna laboravit, contra quae enumerata mala varia remedia — antihysterica, emenagoga, pacantia, excitantia, diaphoretica, purgantia etc., — exhibita, sed nunquam detractiones sanguineae institutae. Ante tres dies fluxus catamenialis, parce fluens, apparuit.

10. Septembris 1840; die humido-frigida, pluviosa, ventriculo jejuno, levibus vestibus induita, ex suburbio in urbem ad perficienda negotia est ambulata, ubi per duas tresve horas est commorata, ibi per aliquod objectum mens ejus valde fuit perturbata, ita, ut moerore plena domum sit reversa. Vix domi per dimidiam horam commorans, vehementem cephalaeam et vertiginem accusabat, considebat in sellam, ex qua post minutum unum temulenta ad caput humi cecidit. Statim vestibus exuta, in lectum posita, et cognata me rogavit, ut ipsi auxilarer. Cum cognata statim ad aegram ivi, et hora matutina $9\frac{1}{2}$ ipsam in profundo sopore jacentem, conscientia et motu voluntario orbatam inveni, cum facie pallida, collapsa, senili, fere cadaverosa, naso acuminato, oculis semiclausis, pupillis contractis, nullo stimulo ad motum excitandis, ore hiante et levi spuma ante os, arteriae temporalis pulsus erat plenus, durus, sic et carotidum, respiratio tarda, profunda, sterterosa, cardiopalmus vehemens, abdomen collapsum, urina involuntarie in lectum missa; extremitates omnes paralytiae fuerunt, frigidae, sic facies et frons frigebat, pectus et abdomen erat calidum, viscido sudore obtectum, pulsus radialis latus, durus, irregularis.

His symptomatibus computatis conclusionem feci: mihi esse cum Apoplexia gravi agendum. Nunc

Deus bone, nunc Hippocrates succurre mihi! cogitavi trementi animo.

Statim feci venaesectionem ad libram unam, epithemata glacialis capiti, sinapismos nuchae et suris applicavi, in rectum clysma injeci ex aqua, sale et oleo, ad tempora posui hirudines Num. XII., et os, orificia narium cum aqua et aceto lavavi. Interne praescripsi: Aquam destill. com. cum Aq. Laxat. D. V. aa unc. tres et Tart. stib. granum unum, cum Signat. Alle Stund zwei Esslöffel zu nehmen.

Sub phlebotomia, in brachio sinistro instituta — quia hoc minus paralyticum fuisse visum, — sanguis ater, crassus, lento rivo ex vulnere sat amplio profluxit, respirum quidquam liberius factum; suspiria duxit et palpebras movebat. — Sub enematis exhibitione genitalia externa et anus sanguine menstruante conspurcata fuerunt. Enema non remansit in recto, sed statim absque fructu exiit. — Medicaminis nec guttula in ventriculum venit ob deglutitionem dengatam.

Circa horam $\frac{1}{2}$ 11 respiratio pedetentim tardior fuit, sed non sterterosa, et oculus fere cadaverose prospiciebat, pupilla erat contracta, arteriae debilissime micabant, halitus frigebant; morbum quum videbam ex minuto in minutum in pejus ruentem, loquutus sum cum ejus cognatis, ut matrem consolentur, si causus triste finiret, et ut officium ultimum unctio extrema per sacerdotem instituatur, quod etiam statim factum.

Hora 11 matutina facies facta hippocratica, frigus marmoreum obtegebant extremitates relaxatos, respiratio cessavit et cor ultimum ictum fecit.

Sectio forensis

die 12. Septb. mane hora 8 instituta sequentia notatu digna offerebat:

Cranio aperto vasa omnia meningum sanguine profunde coeruleo nimie repleta; sinus falciformis magnus massas coagulatas, polyposas, filiformes continet; substantia cerebri vasis turgidis scatet; ventriculi cerebri laterales distensi a sanguine fluido et coagulato profunde nigro; quantitas extravasati sanguinei plus quam quatuor uncias continebat; ventriculus tertius et quartus sive cerebelli etiam nimie sanguine nigro coagulato et fluido erat repletus. Haec haemorrhagia proveniebat ex ruptis vasculis plexus choroidei; vascula cerebelli nec non ejus piae meningis sanguine nimis infarcta erant; sinus ad basim cranii sanguine fluido nigro oppleti.

Pulmones sanguine infareti, liberi, lobi superiores sanguine seroso spumante oppleti. *Pericardium* suetam quantitatem seri continebat. *Cor* quoad omnes proprietates normale.

Hepar grande hypertrophicum, sanguine scatebat, ceterum normale, uti et reliqua organa viscerum abdominalium, tantum in ligamento lato *uteri*, prope *ovarium dextrum*, aderat lipoma magnitudinis fere ovi anserini.

Epicrisis.

Feminae menstruantes apoplexia non plectuntur. Si autem causa repentina et vehementi menses fluentes supprimuntur, tum apoplexia, chlorosis, cardiopalpus, phlogoses et alia mala in conspectum veniunt. Hoc in casu concreto contigit. Femina menstruans dimidia hora ante insultum apoplecticum per duas tresve horas, levibus vestibus induta, die humido-frigida, ad perficienda negotia in urbe commorata est. Praeter quod ibi certe refrigèrium perpessa sit, accessit adhuc animi pathema valde deprimens, quod per aliquod objectum provocatum fuit. Haec omnia suppressio nem repentinam menstruorum ex natura tarde

fluentium; et inde maiorem affluxum sanguinis versus cerebrum — quod jam per frequentes cephalaeas graves, vertigines intolerabiles, percessas, debilitatum fuit; ubi autem pars jam debilis, ibi major sanguinis affluxus, — cephalaeam, vertiginem — nam de his per pauca minuta ante insultum conquesta est, — et ipsam haemorrhoeam cerebri gravem adduxerunt.

Mors non ex therapia neglecta intravit, nam fecimus omnia, quae quivis alias medicus in tam brevi temporis spatio fecisset. Sanguinis detractio, si cum extravasato comparemus, non nimia fuit, et remedium praescriptum ex nostra opinione non fuit malum, etsi granum unum Tartari emetici exhibuimus! nam, si deglutitio denegata non fuisset, non extimescebamus vomitum periculosum, quia: 1. ventriculus vacuus erat, 2. phlebotomiam prius instituimus, et 3. scopus noster erat, ut Tartarus specifico suo irritamento nauseante, quo nervos splanchnicos ferit, revulsionem a cerebro producat, blandam sustineat humorum entericorum secretionem et transpirationem cutaneam leniter promoveat. — Sed frustra erant omnia opera et cogitationes, et casus hic edocet, ut cum *Ovidio*, elegiaco primo atque excellente, loquamus:

„Non est in medico semper relevetur ut aeger.“

Corollaria.

1. Vertigo frequens est praeludium apoplexiae, praecipue si diutius perstat, et frequenter recurrit; hanc jam profanus extimescit, quare derivantia, eccoprotica, epispastica, vesicantia, sinapismos, balnea et fonticulos in usum vocat.

2. Retentae sive suppressae physiologicae vel habituales haemorrhagiae uberrimam largiuntur aliarum haemorrhagiarum vel phlogosium scaturiginem. (Vide Observat. I. II.)

3. Cerebri morbi catameniorum anomalia saepissime juncti, inde kephalaea, vertigo, phlogoses, apoplexia etc.

4. Apoplexia sine prodromis apertis saepissime irruit. (Vide Observat. I. II. V. et VII.)

5. Divisio apoplexiae in *a*) fulminantem, *b*) exquisitam, et *c*) imperfectam revera in natura fundatur.

Non deesset materia atque animus, casus complures memoratu dignissimos, pluribus dilucidandi verbis, ast dissertationis arcti limites et tempus breve hoc non permittunt, hinc mittimus pro tempore et transimus ad

§. 16. Aetiologiam Apoplexiae.

Quemadmodum in omni morbo, ita etiam in apoplexia duplex concurrat conditio necesse est. Altera nimirum in corpore ipso posita est, praedispositio, causa proëgumena; altera extra corpus vigens inimice in istud agit, causa occasionalis, excitans, causa procatarctica. Ambobus his factoribus concurrentibus progeneratur causa proxima (apoplexiae essentia, natura).

I. Disponunt ad apoplexiā:

1. *Individua habitu sic dicto apoplectico donata*, qui habitus, integris familiis nonnunquam haereditarius, manifestatur: per caput magnum cum facie rubra et turgida, oculis splendentibus, per collum breve, crassum, et saepe sex solum vertebris instructum, extremitates breves et crassas, humeros latos, pectus magnum atque abdomen vastum; vel per corpus obesum, torosum, parvum, praevalentem haematosim et irritabilitatem, epistaxim frequentem, turgorem venarum colli, vertiginem, capiplenum, somnum inquietum, insomniis horribilibus interruptum, fulmina ante oculos praesertim in situ capitatis antrorum et deorsum; vel per corpus athleticum, robustum, rigidum; vel per corpus nimis crassum et pingue, quod *Hippocrates* jam memorat his-

ce verbis: Οἱ παχέες σφοδρα κατα φύλιν, ταχυδυνα τοι γίγνουται μαλλον τῶν ἵχνῶν (Aphor. 44. Sect. II. Crassi admodum secundum naturam magis cito moriuntur, quam graciles). Huc pertinet habitus scrophulosus, rhachiticus hominum aetatis proiectae.

2. *Quoad aetatem*, homines praecipue proiectae aetatis in apoplexiā proclives. Jam *Hippocrates* observavit, quod ap. intra quadragesimum et sexagesimum aetatis annum praeordinari solent. *Falret* invenit, quod intra annum 45 (55. ??) et 65 ap. frequentissime obveniunt, dein intra annum 45 et 55, dein intra annum 35 et 45. Secundum observationes celeberr. *Andral* et *Rochoux* ap. frequentissime venit intra annum 55 et 70; rarius ante 30 et post 70, et adhuc rarius ante 20. Licet a pluribus exempla adducantur, quod apoplexiae jam a primo vitae momento usque ad 20 annum occurant, haec tamen ad riora sunt referenda. Sic *Durnet* observavit apoplexiā in infante unius anni; *Serres* in infante trium mensium, et *Billard* in neonato. *Tonellé* communicavit casum apoplexiae sanguineae in infante duorum annorum, et *Andral* observavit Apoplexiā in infante 12 annorum ex insolatione. Ex observationibus constat, quod rarissime intra 20 et 40 ann. apoplexiae occurant, quum hoc temporis sanguinis fluxus praeprimis ad organa pectoris atque sexualia dirigatur. Secundum cel. *Schönlein* frequentia apoplexiae praesertim sanguineae in aetate seriore cohaeret cum statu atrophicō cerebri, immutatis tamen parietibus encephali persistentibus. Nam si parietes sive ossa praesente atrophia cerebri incrassantur, tum haec disproprio inter cerebrum et ejus parietes disparet. Si autem atrophia adest cum immutatis parietibus, tum congestiones validiores versus cerebrum fiunt (ex nisu naturae locum vacuum explendi) et ex hinc apoplexiae frequentes.

3. *Quoad sexum*. Morbus frequentius in maribus,

quam in sexu sequiori occurrit. *Joseph Frank* dicit „Inter decem apoplecticos unam numerare soleo feminam.“ Multum confert verosimiliter in feminis ad apoplexiam praepediendam normalis et typica sanguinis jactura per fluxum catameniale; quae superat, sanguinis quantitas excedens, e corpore eliminatur, majore hujus impetu ad sistema genitale versus encephalum congestio inhibetur, et si Apoplexia in feminis intrat, plerumque tempore menstruationis, si causa repentina et vehementi menses fluentes suppressuntur, vel graviditatis tempore, vel sub partu adparere solet vel annis climactericis, teste experientia (vide **Observ. V. IX.**).

4. *Temperamentum sanguineum, irritabile, acutuorum, nec non cholericum.*

Ad causas praedisponentes referenda sunt, eae omnes, quae sanguinis majorem affluxum versus cerebrum progignere valent, uti: a) *animi pathemata* deprimentia, animi intentio nimia, meditatio continua; dirae cephalaeae, frequentes encephalitides ac meningitides gradu altissimo, et mala earum post huma, impennis hydrocephalus, suppuratio cerebri, emollitio, incrassationes et concretiones meningum inter se vel cum cerebro, indurations partium singularium, gangraena.

b) *Vitae ratio.* Luxuriosa degendi vitae ratio, ciborum aromaticorum abusus, epulae lautae¹⁾, potulenta spirituosa nimia quantitate exhausta, ebrietas quotidiana; vestimenta coarctantia, angusta; peregrinationes, muscularum nimium exercitium; vita sedentaria; som-

¹⁾ In *Plinio* invenimus exempla, ubi sub ipsis epulis lautis apoplexia intravit. An haec per repentinam paralysim plexus solaris, seu per aortae abdominalis compressionem, a ventriculo distento inducta, et exinde congestiones versus caput provocatae, non est possibile eruere. *Morgagni* causam secundam assumit; interim tamen non raro vitia organica post mortem organorum abdominalium inventa, quae fors causae apoplexiae et mortis fuerunt.

nus post coenam capite nimis inclinato; abusus veneficis. — *Lancisius* observavit sobrios vix unquam apoplexia corripi.

c) *Suppressio excretionum consuetarum*, vel habitualium vel morbosarum, ad quas praecipue referenda arthritis, de qua jam *Stoll* praeclare dicit: „Arthritis, quae quibusdam calculosam, aliis vero apoplecticam dispositionem inducit;“ rheumatismus, morbi impetiginosi.

d) *Morbi varii praegressi*, uti: febres nervosae, typhus contagiosus, typhus abdominalis sive febris nervosa cum ileitide (*Bischoff*¹⁾ T. I. p. 210). Praedispitionem hanc maxime acuunt:

e) *Vitia organica* cordis et vasorum majorum, uti: hypertrophiae, aneurysmata et polypi; morbi diversi pulmonum, qui sanguinis fluxum per eos impedire valent; viscerum abdominalium obstructions et desorganisationes, omnesque morbi ex circulo humorum in systemate venae portarum languido oriundi; cacochymia praedominans pituitosa.

f) *Calor vel frigus* nimium, praesente atmosphaera humida; auctumnus humido-frigidus, hiems, maxime apoplexiae favent dicente jam *Hippocrate*, *Hollerio*, *Foresto*, *Morgagnio*.

g) Hic adhuc referendae *occupationes et opicia* quaedam, ubi situs capitis nocivus diutius observari debet (*Ramazzini*), militum peregrinationes nimis citatae.

II. Ad causas excitantes pertinent:

Ad frequentissimas causas excitantes pertinent omnia illa momenta, quae plethoram adaugere et sanguinem majori quantitate ad encephalon urgere valent,

¹⁾ *I. R. Bischoff*, Grundsätze zur Erkenntniss und Behandlung der Fieber und Entzündungen. Wien 1830.

huc numeranda: *a)* nimia virium muscularium intentio ; occupatio capite nimis inclinato ; collare arctum ; venarum jugularium compressio ; conatus alvum , urinam foetusque expellendi nimius ; tussis ; vomitus diurni ; ingesta cruda ; bilis degenerata ; mucus ; pituita ; vermes et acida intestina acriter irritantia ; coitus immodicus praesertim in statu ebrio ; graviditas ; medicamina stimulantia , humorum orgasmum augentia , intempestive adhibita ; somnus protractus paeprimis ventriculo pleno captus ; mentis adstrictio fortior ; vigiliae ; omnes animi affectus et pathemata (ira gaudiumque vehemens praecipue in subjectis sensibilibus) ; labores graves capite prono peracti ; onerum in capite gestatio ; clamor impetuosus ; risus effrenis ; saltus immodicus ; itinera militum nimis incitata ; natatus velox ; sternutatio : „Non nullos sternutantes, dicit *Magnenus apud Lancisium* agitato violenter capite , disruptisque eo impetu meningum vasis , subito interiise.“

b) Ciborum abusus aromaticorum , nimis conditorum , digestu difficilium , mole sua ventriculum infestantium , magna deglutita quantitas , potulentorum spirituorum , praecipue potus fortis cerevisiae et vini , aliorumque sanguinis circulum vehementer stimulantium , usus frequens , inebriationes saepc saepius repetitae.

c) Viscerum abdominis singulorum aut plurium , maxime hepatis , renum , uteri volumen morbosum , atque tumor , circulum graviter impediens , praecipue refluxum sanguinis a capite ob compressionem vasorum sanguiferorum viscerum abdominalium cohicens , hinc stagnatio sanguinis in corporis partibus superioribus , praecipue in cerebri vasis unacum eorum energia imminta , adducitur , ubi dein , persistente causa excitante , oppletio vasorum cerebralium increscit , proclivitas in effusionem adaugetur et hic omnibus incrementibus , insultus apoplecticus hominem repente de medio tollit ,

quare apoplexia gastrica et biliosa non in systematis cūjusdem favorem excogitata ¹⁾, sed vere existit.

d) Frequentem apoplexiā provocant: cordis vasorumque majorum vitia, ut cordis enormitas, ejusdem, aortae et arteriae pulmonalis aneurysmata, ossificatio-nes cordis, valvularum praecipue bicuspidalium et vasorum majorum, imprimis valvularum semilunarium aorta-e, polypi, ossificationes arcus aortae et arteriae anonymae, dilatationes arteriarum, aneurysma carotidum; brevis est trames a corde ad caput, morbo praesente cordis vasorumque majorum vasa fiunt latiora, im-minuitur resistentia impulsui sanguinis, unde et san-guis torrens minori negotio ad cerebrum preeceps agi-tur, hinc illa proclivitas in apoplexiā; apopl. praete-reā provocant: carotidum ossificatio, tumores varii in collo, sanguinis refluxum impedientes, colli constrictio, strangulatio, suspensio, submersio.

e) Impedimenta liberi circuli sanguinis in pulmo-nibus quoque apopl. excitant, huc pertinent: respirii liberi difficultas a thorace et abdomine compressis, tho-raculis arctis, cyphosi aut lordosi, statu pituitoso, vomicis, hydrothorace, phthisi, tuberculis, aut alia labe pulmonum; respiratio intercepta in suspensis, sub-mersis.

f) Uberrimam apopl. causam praebent humorum in vasis capitis congestiones, quae, post haemorrhoi-dum ²⁾, menstruorum, sudorum pedum vel sub axillis, lactis, lochiorum, epistaxeos, aliarumque, excretionum normalium seu abnormium sive habitualium, suppressio-nem oriuntur; praeterea viscerum pectoris et abdomi-nis contusiones, metastases variae praecipue arthritis, rheumatismus, erysipelas (*P. Frank*) retropressum,

¹⁾ Romberg in Horn's Archiv etc. 1820.

²⁾ Schmid, Diss. sistens virum apoplexia extinct. ab haemorrhoi-dibus supp. Alt. 1723.

scabies retropulsa, herpes exsiccatus, ulcera inveterata praepostere consolidata; salivatio mercurialis subito frigore sublata, morbi exanthematici retropulsi, scarlatina, morbilli, variolae. De erysipelate dicit jam *Hippocrates*: „Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora non est bonum.“ Sect. VI. aph. 25.

Excitant porro apopl. omnia venena narcotica, uti: Opium, Cicutta, Belladonna, Hyoscyamus, Laurocerasus, Stramonium, Nicotiana, Lolium temulentum, Nux vomica, et praecipue Acid. Borussicum et Aconitum. Simili modo agit Arsenicum (*Brodie et Smith*) Mercurius subl. corros. (*Devergie*), Cuprum, Bismuthum, Antimonium, Plumbum; praeterea morsus viperarum nonnullarum praecipue Colubri Naja; rabies canina apoplexiam gignere valent. Pertinent huc varia effluvia odorifera plantarum, uti: odores penetrantes Croci, Sambuci, Violarum, etc.; effluvia et vapores varii concentrati, uti: fumus carbonum praecipue in loco clauso accensorum; gas varium mephyticum, gas hydrogenium, ammonium hydrogenatum, vapores accensi sulfuris, cryptarum subterranearum, exhalationes plantarum toxicarum. A dormitorii recenter calce illinitis, ac praecipue plus aequo calefactis *Lancisius* apoplexias, *van Swieten* hemiplegias ortas vedit prorsus insanabiles. Refert quoque *Plinius* lege apud Romanos cautum fuisse, ne quis intra triennium in aedificiis recens extructis habitaret.

h) Insolatio messorum, militum galea ahaenea munitorum, aliorumque sub ardente Sirio laborantium; frigus nimium; vicissitudines temperaturae ac tempestatis frequentes subitae et magnae, vere imprimis et auctumno; calor nimius, si cum humido vapore commixtus vel cum exhalatione copiosorum hominum conjunctus, uti in theatris, aliisque publicis spectaculis; capitis antea valde calentis atque sudantis refrigeratio

repentina; aér humido-frigidus, pulviosus, nebulosus, etc. saepe apopl. provocare, valent, vide §. 18.

i) Ad causas occasioales adhuc recensendae sunt: laesiones traumaticae, v. g. lapsus, ictus, laesiones per concussions, contusiones capiti illatae. Praeterea apopl. concitant vitia organica; vitiosa capitidis et cranii formatio: tenuitas ossium calvariae morbosa; caries ossium; exostoses a *Hufeland*¹⁾ aliisque observatae; gummata, nodi, tophi syphilitici calvariae internae repente orti; osteosteatomata, variique cranii tumores; Aneurysmata, ossificationes arteriarum vel earum fragilitas terrea, quae monente eximio *Scarpa*²⁾ in aneurysmata disponit; varices; hydatides; fungi durae matris; concretiones meningum vel inter se vel cum crano; ossificationes meningum, sinuumque; tumidae glandulae *Pachioni*; cerebri in quibusdam locis emolitio (encephalomalacia); abscessus cerebri, scirrhus cerebri vel cerebelli etc.; pertinent huc omnia mala, quae cerebrum ejusque satellites comprimere atque eorum functiones turbare possunt. Denique inter causas apoplexiae numerat *Clar. Walter* venas durae matris diu extensas, medullam cerebralem nervorumque origines ita comprimentes, ut fluidi nervei influxus intercipiatur. —

Causae remotae nunc adductae per vires suppressas praesertim per sanguinis in capite congestiones extravasata apoplexiam et imprimis sanguineam et serosam inducunt.

§. 17.

Causae remotae, queis vera virium debilitas subest, apoplexiam, praecipue nervosam inducentes, sunt:

¹⁾ Journal d. pract. Heilkunde B. XVIII. H. I. p. 116.

²⁾ *A. Scarpa*, über die Pulsadergeschwüste. A. d. Ital. übers. mit Anmerkungen und Zusätzen v. *Hartes*. Zürich 1808.

I. Disponentes, huc referendae

a) excedens sensibilitatis totius organismi debilitas directa, quae per nimiam receptivitatis alacritatem reactionemque vitalem, cui vero constantia et robur internum deficit, sese manifestat; hinc dispositi sunt ad hanc apopl. individua debilia, emaciata, valde sensibilia, irritabilia — quin requiratur habitus proprius — tenera, delicatula, vitae generi molli adsueta, nevrosibus chronicis, cephalalgia, haemicrania, vertigine, hypochondria, hysteria etc. laborantia; aut morbis laryngis humorum dispendiis, nutrimentorum penuria, curis, moerore exhausta, confecta; homines studiis severis, praecique in noctem protractis, dediti; Venere immoda, onania nefandissima (*Tissot*) enervati.

b) Ad causas praedisponentes pertinent adhuc: magna animi mobilitas et in pathemata propensio; imaginatio admodum vivida et irrequieta; sensibilitas universalis maxima, vita psychica predominans.

II. Ad causas excitantes referendae:

a) Potentiae eae omnes, quae debilitatem veram directam, non vero per affluxum sanguinis majorem viuum suppressionem inducunt; huc pertinent: intensio functionum mentalium nimia atque assidua; studia immodica vel invita Minerva usque ad exhaustionem protracta, et si intrare minitat, ad virium elevationem incongruus stimulantium — quatenus adhuc magis exhauiunt — vini, nec non opii (*Platner's Anthropologie*), aliorumque abusus; vigiliae; animi affectus et pathemata deprimentia: moeror, timor, spes frustrata, amor infelix, desiderium inane, nostalgia, tristitia gravis, curae rodentes, pudor, invidia, odium, zelotypia, anxietas, sollicitudo etc., imo

b) febres nervosae et nervoses purae chronicæ, speciatim convulsivæ; tremores artuum, hysteria, hypochondria etc.

c) Humorum nobilium insolita jactura, praesertim

sanguinis per haemorrhagias, e. g. Metrorrhagias, Haemorrhoides, Pneumonorrhagias, Epistaxim, Haematemesis, per venaesectiones (*Avicenna, Boerhaave*) usque ad Keneangiam institutas; jactura seminis per abusum Veneris, masturbationem; per remediorum evacuantium abusum; tandem

d) humida et humido-frigida tempestas.

Frigus, inedia, abusus coffeeae, nicotianae aliaque fere omnem apoplexiae speciem provocare valent.

§. 18. Statistica de Apoplexia.

Jam superius dividimus Apoplexiā in epidemiam, endemicā et sporadicā. Haec divisio fere antiquissima jam ab ipso *Hippocrate* statuta.

Apoplexia frequenter *Hippocratis* temporibus obveniebat, ita, ut ipse Apopl. ad morbos populares numerabat, et praecipue hieme atmosphaera frigida simulque humida obvenire solebat. *Celsus* resolutionem nervorum assumit pro frequente ubique morbo, et hoc affirmant post ipsum *Hollerius*, *Forestus* aliique. In Italia apoplexia praecipue endemicē occurrere solet, hoc edocent observata *Baglivii*, *Lancisii* et *Mistechlii* Romae et *Pajomosii* Venetiis instituta. *Wepfer* et *Piso* invenerunt, quod praecipue in Lotharingia frequentes apopl. occurrunt et *P. Frank* affirmat, quod hic morbus in magnis urbibus semper endemicus sit. *Baglivius* frequentiam apoplexiarum Romae obvenientium anno 1694 et 1695 ab insueta illorum annorum aëris intemperie deducit. Quod illae apoplexiae ad sanguineas referendae fuerint, ex eo deducimus, quod ad has auferendas et curandas phlebotomiae ad 30, 50 imo usque ad 60 uncias institutae fuerunt. — De Apopl. epidemica, medio seculo 18^{vo} grassante, mentionem facit *Huxham*; *P. Frank* de tali in Vratislavia et Berolino anno 1700 et 1701. Anno 1780 usque ad 1790 grassabantur in pluribus locis Germaniae apoplexiae epidemice, et

anno 1807, observante *P. Frank*, apoplexia defunctorum major copia erat, quam annis praegressis. — Medioli-
ni ¹⁾ ex observationibus institutis et comparatione facta cum aliis annis, inventum, quod in annis 1812, 1813 et 1814, et annis 1831, 1832 et 1833 per apoplexiam in prioribus annis 605 individua occisa fuerunt, in ultimis dictis annis numerus hoc morbo defunctorum usque ad 875 increvit. — Sec. *Ferrario* ²⁾ Mediolani ab anno 1750 usque ad annum 1833 obvenerunt plus quam 11,431 individua apoplectice defuncta, et inter haec sunt 6492 masculina et 4939 feminina; inter 10,432 plurima mense Decembre et Februario, paucissima mense Junio, Julio et Augusto obvenerunt. Respectu habito individuorum matrimonio junctorum, viduorum aut caelibum invenit idem auctor, quod inter 323 individua, anno 1834 apoplexia emortua, 69 coelibes, quibus adhuc infantes adnumerandi sunt, 72 viduae, 91 matrimonio juncti, et 91, quorum conditio assignata non fuit, erant. Secundum singulas occupationes et opificia *Sormani* Mediolani invenit, quod inter 699 individua, 47 nentes, 33 publicis muneribus fungentia, 16 sartores, 84 desides locupletes et 123 netrices, morbo attonito correpta fuerunt. Sec. hunc auctorem in 875 individuis Mediolani apoplectice defunctis numerus maximus obvenit mense Januario et Septembre, minimus mense Majo, Junio et Julio.

Ex observationibus constat, quod apoplexiae, sub frequentibus et magnis tempestatis vicissitudinibus per refrigerationes generantur et revera epidemice gras-
santur. *Lancisi* et *Morgagni* non solum sub frigida, sed etiam praesente humida tempestate, et *Pet.* et *Jos. Frank* sub magno calore frequentes apoplexias, praecipue in Russia, observarunt. *Andral* congestiones cerebrales et

¹⁾ *N. M. Sormani*, Monografia sulle morti repentine. Milano 1834.

²⁾ *G. Ferrario*, Statistica delle morti improvvise e particolarmente delle morti per apoplessia etc. Milano 1834.

apoplexias tum sub imminuta, tum sub aducta temperatura observavit.

Quod frequentiam apoplexiae in Austriae Metropoli attinet, cum certitudine nil edicere valemus, quia secundum veterem ordinem hic morbus cum suffocatione conjunctus et ita sub unum titulum inscriptus fuit. Hinc tantum adproximative numerum apoplexia defunctorum adducere valeo, quem mihi summa Benevolentia Illustrissimi, Spectabilis ac Celeberrimi Domini *Josephi Joan. Knolz*, Medicinae Doctoris, ad Excels. Regimen Austriae Inferioris Consiliarii, Protomedici, Rei Salutis Referendarii, Facultatis medicae H. T. V. Decani, Professoris P. O. optime Emeriti etc. etc., tradidit, et Cujus veneratio erit mihi semper summa, gratesque in Eum maximae.

Ab anno 1793 usque ad annum 1833 numerus in universo defunctorum erat 577,295 et inter has 21,356 apoplexia et suffocatione emortui. Respiciendo plures annos inter se, tum invenimus, quod ab anno

1793 usque ad annum 1800	numer. defunct.	erat.	100,914,	inter quos	3,398
				apoplexia et suffocatione emortui,	
1800 usque ad 1810	num. def. erat.		162,532,	inter quos apopl. et suff. emort.	4621.
1810	"	1820	"	"	4885.
1820	"	1830	"	"	5867.
1830	"	1833	"	"	2585.

Numerus itaque quovis decennio increscit.

Numerus apopl. et suff. in quolibet anno defunctorum valde variat a 402 usque ad 751, et quidem anno 1801 erant 402 et anno 1826 apopl. et suffocat. detenta 751, licet anno 1801 numerus defunctorum erat 15,181, et anno 1826 defuncti 12,190. Anno 1800 numerus emortuorum erat 18,452; apoplexia autem et suffocatione nullus mortuus, saltem nullus assignatus in scriptis invenitur. Ab anno 1823 numerus his morbis emortuorum vaide increscere incepit, ita, ut anno 1823 inter 11,160 individua 582 et anno 1832 inter 16,622, 715 apopl. et suffocatione occisa fuerint. Anno 1806 emortui 20,359, inter quos 507 apoplexia et suffocatione

detenti fuerunt. Anno 1809 emortui 20,218, inter quos 654 apopl. et suffocat. defuncti sunt.

Nonnunquam aëri quidquam inesse probabile est, quo fons et principium vitae deleri possit. Animadvertente *Weikardo*¹⁾ certis temporibus apoplexiae et paralyses grassantur, quarum nulla satis certa causa adpatet. *Fr. Hoffmannus*²⁾ dicit: „Nos certe crebrius observavimus, quod, si diuturnam aëris intemperiem frigido-humidam, vento diutius ex occidente et zephyro spirante, subito ventus frigidus ex borea excipit; aut etiam intemperiem aëris calidam et humidam cito sequitur algida et constringens athmosphaerae constitutio, facilis admodum in hunc morbum dispositis sit lapsus.”

Apoplexiae vere ad finem mensis Martii et mense Aprili et praecipue versus autumnum, ad finem mensis Augusti, mense Septembri, Octobris usque ad medium partem Novembris in Austriae Metropoli frequentius ac alio quovis anni tempore observantur. Hoc legi licet ab anno 1837 usque ad annum 1840 in Ephemeridis Vindobonae (österr. kais. priv. Wiener Zeitung) sub articulo „Verstorbene zu Wien,” ibi mensibus ad ductis major numerus Apoplexia defunctorum invenitur, quam in reliquis anni mensibus. Quoad species singulas Viennae plerumque autumno apoplexiae sanguineae et serosae (pituitosae Veterum), et tempore veris ab initio sanguineae, serius sanguineae et nervosae, sed hae frequentius, occurrunt. Frequentissime Viennae occurrunt sanguineae, dein serosae, minus frequenter nervosae. Fors ea frequentia apoplexiarum dependet a spirituorum abusu, praecipuis a vino juveni, nondum bene defaecato et fermentato; vinum sic dictum „Heuriger” praecipue, si majori quantitate bibitur, maxime orga-

¹⁾ Vermischte mediz. Schriften.

²⁾ *Fr. Hoffmanni*, Med. ration. Syst. Tom. II. P. II. Sect. II. Genov. 1748.

nismo nocet, nam fermentationem nondum penitus per-
pessum, non solo spiritu, quo pollet, acido etiam car-
bonico, quod uberioris excludit, nervorum et vasorum
systema justo magis irritat, deinde et materiis, quas
vehit, alienis, praeprimis acida, majores digestionis,
adsimilationis et secretionum turbas excitat. Vinum hoc
novum, secundum relationem famuli mei, ita forte et
acre est, ut, si libram hujus vini ebibat, jam valde
ebrius fiat, si autem libras tres, quatuorve vini quar-
tanni vel quintanni ebiberet, tunc ipsi nil fit, imo se hi-
lariorem, ad labores proniorem esse sentit. Vinum no-
vum, uti etiam mustum (Most) eo tam frequenter bi-
bitur, quia peculiari ratione, sua vi et accredine amoe-
ne nervos gustatorios ferit, et quo plus bibatur, eo
magis hi nervi accidunt, et appetitum ad bibendum
excitant. Quoad vitae conditiones nil certi adhuc edi-
cere valemus, quia inter plus quam 2400 assignata,
variae vitae conditiones et opificia, quibus praestiterant,
assignata fuerunt, numerus tamen maximus erat cau-
ponum, magistrorum conviviorum, dein mercenariorum
et veterinarum.

Paris iis observante cel. *Andral*¹⁾ hieme apo-
plexiae frequentius obveniunt, quam alio anni tempore.
Ille ex observationibus in 177 casibus institutis invenit:

quod hieme	60,
„ vere	42,
„ autumno	40, et
„ aestate	35

individua Apoplexia fuere detenta.

Londini apoplexiae creberrime autumno occur-
runt. **B**ateman adducit, quod Haemorrhoeae cerebri
Londini seculo decimo octavo frequentiores fuerint,
quam in praegressis; sic in prima parte hujus seculi

¹⁾ Specielle Pathologie. Herausgegeben von Dr. A. Latour. A. d.
Franz. übers. von Dr. Fr. Unger. Berlin 1837. Thl. III. S. 47.

157, in media parte 260 et ad finem ejusdem seculi 300 individua Apoplexy fuere correpta.

Berolini secund. clar. *Hufeland* praecipue mensse Decembris plurimi apoplexia corripiuntur.

In genere in urbibus, quae ad ripas majorum fluminum positae sunt; uti: Viennae, Pragae, Pestini, Venetiis, Lintiae, Parisiis, Londini apoplexiae frequenter, fere endemice, occurunt.

Memoratu adhuc dignum, quod major numerus apoplexia emortuorum a mesonyctio usque ad meridiem, minor a meridie usque ad mesonyctium invenitur, annuentente cel. *Schönlein*¹⁾. Apoplexiae rure quam in urbibus rariores. Circa aequinoctia et solstitia crebrior observatur, unde natae fortassis majales curae, et venaesectiones, dicente *L. B. de Quarín*²⁾.

Ex his omnibus deducimus, quod apopl. frequenter in majoribus urbibus obvenire solent, et eo magis, quo major intemperantia, vita luxuriosa, inordinata, cum abusu spirituorum conjuncta, in civibus majorum urbium observatur; quae observatio suffulcitur ea a *Fodere* instituta, quod in Sabaudicis alpibus, ubi vita sobria, regularis, simplex domi est, apoplexia nec nomine nota. *Lancisius* observavit, sobrios vix unquam apoplexia corripi, et alio loco dicit: „Continentiores in cibo, potu ac venere a subitaneis mortibus se hucusque vindicasse; incautos vero, luxuriosos, vinulososque improvisis facile mortibus concidisse,” experientia docet.“

§. 19. Nosogenia et theoria morbi.

Rationem, quae ex concurso causarum, tum disponentium tum excitantium hic, de quo nobis sermo est,

¹⁾ *I. L. Schönlein*, Allgem. u. spec. Pathologie u. Therapie. Herisau 1837. Bd. II. S. 78.

²⁾ *Jos. L. B. de Quarín*, Animadversiones practicae. Vienn. 1814. Tom. II. Cap. XXIV. p. 1.

enascitur morbus, exposituri, hujus, quam suscipimus operae arduitas nequaquam nobis ignota. Ex diversis circa obstrusum hocce argumentum a variis auctoribus prolatis opinionibus et sententiis, nec ullam nobis satisfacere votis, nec perfectam claramque morbi nostri cognitionem, quousque tenebrae, quibus cerebri adhuc physiologia obfuscatur, fugatae non fuerint, possibilem esse, censemus. — Hic ex magna sententiarum et opinionum caterva, ommissis reliquis insigniores solum proponemus.

Juxta *Hippocratem*¹⁾ apoplexia vel evolutioni ventorum internorum, vel refrigerio cerebri, sanguinis stagnationi vel ejus cum bile mixtioni originem debet.

Galenici apoplexiae genesim pituitae frigidae tribunt, quae irrorando cerebri substantiam insensiles illius meatus obturat; defluens vero ad basim calvariae, principia nervorum comprimit. — Alii veterum hac opinione rejecta, ad spiritum narcoticum, qui in corpore generatur, confugiebant. Alii affirmarunt: spiritui animali in corde generato, per carotides ad cerebrum transitus interclauditur. Nebulosas exhalationes, in cerebrum elevatas, energia quadam congelante praeditas, pro causa soporum *Musitanus* edocuit. Ecclipsin cerebri lunarem lege microcosmicam natam *Paracelsi* somnium est. *Helmontio* autem venenum anodynum ex stomacho ascendens ad cerebrum forma vaporis pro causa assignatur. *Hildesheim*²⁾ eam invenisse credit in motu spiritus vitalis impedito per ventriculos coarctatos.

Alii nexus sublatum inter substantiam corticalem et medullarem cerebri accusant, contra quos vero acriter pugnat *Le Cat*, clarus Gallorum chirurgus, et etiam contra illos, qui assumunt compressionem per substan-

¹⁾ De morbis Lib. II. Cap. II.

²⁾ *Hildesheim*, de cerebri et capit. morb. int. Francf. 1618.

tias materiales, adfirmans: humores in cerebro accumulatas non sistere causam proximam, sed sequelam morbi, cum in hydrocephalo ob seri quantitatem magnam compressio adesse debet, quin apoplexiae indicia praesto sint. Hanc sententiam stabilire *Weikard* omnibus adnisus est viribus.

Morgagni apoplexiā provocari putat imminuto cerebri motu, quo functiones ejus proprie producuntur. — Juxta *Burdach* est status paralyticus ejus partis cerebri, quae sensorium comune constituit.

Selle et *Metzger* apoplexiā nervosam admittunt; quam sine materia appellari posse censem, quorsum praeprimis commotiones cerebri et mortes subitaneas ex vehementioribus animi affectibus referunt.

*Fr. Zuliani*¹⁾ quaerit causam proximam in sublato commercio cerebrum inter reliquasque partes, sensationem, motumque mediantibus.

*Rinaldo Carli*²⁾ causam praesertim in electricitate corporis positiva et negativa agnoscit, et quidem si fluidum electricum quantitate nimia a musculis retrorsum per nervos ad cerebrum et medullam spinalem devehitur.

Sormani compressionem cerebri per congestionem aut exudatum sanguinis qua causam proximam apoplexiae citaeque mortis assumit, quod exemplis copiosis demonstrat.

Virium cerebri, a sanguine intra cranium congesto aut extravasato, suppressiones *Richoux*, *Riobé*, *Brichetau*, *Moulin*³⁾ pro unica apoplexiae causa proxima habent; *Schaeffer*⁴⁾ e contra veram virium debilitatem pro apoplexiae essentia declarat.

¹⁾ *Fr. Zuliani*, de apoplexia, praesertim nervea, Comment. Brixxae. 1789.

²⁾ *Weigel's* ital. med. chir. Bibliothek.

³⁾ *Fr. M. Moulin*, Traité de l'Apoplexie. Paris 1813., et *Horn's* Archiv. f. med. Erf. 1819. H. III., et 1820. H. 1.

⁴⁾ *Horn's* Archiv. f. med. Erfahrung. 1819. H. 1.

Patet ex his omnibus, causam apoplexiae proximam difficilime assignari posse. Interim absque dubio vis cerebralis nervosa in functionibus est impedita et suppressa, aut exhausta, et non propagatur ad sphæram medullarem et gangliarem; hinc speciem somni profundissimi et soporis summi gradus sistit; haec oppressio et exhaustio vero fit per obstaculum aliquod, sive *mechanicum* [sanguis, (turgor sanguineus meningum et encephali ipsius vel extravasatum sanguineum)], — serum (extravasatum serosum extra alveolos ob laxitatem vasorum capillarium intra meninges vel in cameris cerebralibus) — pituita, — morbi pectoris et abdominis, circulationem turbantes, — vitia organica cerebri, meningum atque cranii, per quae omnia circulatio in vasis atque vis cerebralis nervosa repente supprimitur; quo major pressio cerebri per obstacula, eo major insensibilitas, muscularum relaxatio et flacciditas, eo difficilior respiratio, suspensio conscientiae plenaria, coma profundum, et mors]; sive *chemicum* (aëres nocivi, narcotica); sive *dynamicum* (fors principium galvano-organicum). Nam existit revera apoplexiae species, nervosa nempe, qua absque omni cerebri compressione, et ex causis potius vel materialibus vel immaterialibus, subitaneum nervorum torporem (astheniam cerebri) inducentibus, animalitatis fons subito quasi obstruitur, enecatur. Quomodo hoc fiat, decidere non audemus.

Quum jam difficile sit, causam apoplexiarum simplicium proximam assignare, haec adhuc difficilior est sub apoplexiae specierum complicationibus; fors, et quod nobis verosimillimum esse videtur, momenta, quae quamlibet apoplexiae speciem pro se generare valent, conjuncta insimul intrant, uti: e. g. praesente vera virium debilitate, causae excitantes majorem congestionem versus encephalon producunt, et sic com-

plicationem apoplexiae nervoso-sanguineae, vel alias inducunt. (Vide Observat. I. et VIII).

§. 20. Prognosis.

Ex iis, quae modo exposuimus, jam cognosci potest, quam anceps et infausta sit prognosis. In genere ad illos spectat morbos, qui citissima, inopinata et quasi subdola ratione vitam destruunt, et tunc quoque si arti vel naturae felix contingit sors, mortem praepediendi, morbos posthumos relinquat pertinaces, rebelles, insidiosos, aegrumque alio modo miserando trucidantes, hinc *Hippocrates* recte monet: Λύειν ἐποπληξίην ἵχυρήν μὲν αἰσθάνατον ἀδενέα δὲ ἐρημίδιον, (Aph. Sect. II. XLII: solvere apoplexiām vehementēm esse quidem impossibile, levēm vero non facile). Et *Celsus* dicit: „Apoplecticos raro ad sanitatem redire, saepe paralysin, memoriae defectum remanere.“

Momenta, quae ad praesagium rectum instituendum respicienda veniunt, sunt sequentia:

1. *Causae morbi tum disponentes tum excitantes.*
Sic aetate provectioni, dispositione haereditaria, habitus dicto apoplectico, causa excitante admodum vehementē, vitiis organicis, quae amovere non valemus, encephali aut partium aliarum, uti: cranii exostosibus, meningum et cerebri degenerationibus, aneurismatibus, vitiis cordis, abdominis etc. praesentibus, magnum imminet periculum. Apoplexia a vermis aliisve saburris, ab ingluvie (*Quarin*); saepe solvitur, vermis expulsis, saburris per alvum rejectis. Ubi metastasis arthritica, rheumatica, exanthemica, erysipelacea etc. in causa fuit, aut profluviorum, haemorrhoidum, menstruorum aliorumque incauta suppressio, saepe apoplexia tollitur, pristina iterum affectione comparente, profluviisque restitutis. Sic quoque saepe aufertur, si vis venenorum statim enervetur, atque ipsa ex organismo expelluntur. Periculosa est in illis, qui literarum

studiis, venere et masturbatione exhausti sunt. Pessima est apoplexia, nata a lapsu calvariae, fractura, sanguinis effusione. (In hac apoplexiae specie, a violencia externa nata, locum affectum aeger semper indicat per manum eidem capitis lateri iterato admotam; ad quod admodum est adtendendum, cum humor effusus non semper in illo latere haereat, cui vis illata, sed saepe in latere opposito.) *Quarin* neminem sibi visum esse monet mortem effugientem, qui sub apoplexia capiti saepius admovisset manum. Infausta est prognosis in apoplexia ex animi pathematibus deprimentibus, ex abuso spirituosorum oriunda.

Senes sec. *Aretaeum* vix sanantur, facilius juvenes; mares intra annum 40 et 60 monente *Hippocrate* gravius adficiuntur quam feminae. *Morgagnius*, immortalis vir memoria dignus, juvenum apoplexias cito lethales evadere, senum in diuturnas resolutiones abire ait; et *P. Frank* dicit: „Senes vero potissimum periclitantur, si ad nucham vel occiput doleant, capite ad anteriora inclinato incedant, genubus titubant.“

In genere adhuc monendum, *a)* quo intensior et citatior vis causae morbum provocantis in caput agit, eo minus vis interna centralis resistere potest et eo gravior periculosiorque morbus, et tristior prognosis erit statuenda; *b)* quo major dispositio in hunc morbum adest, sive quo magis evolutae et explicatae internae morbosae corporis conditiones sunt, eo pauciores causae agentes sufficiunt, ut apoplexiā gravem, imo ipsam mortem adducant.

2. *Gradus morbi.*

Quo mitiora, pauciora symptomata morbosa, eo major spes sanationis. Parapoplexiā facilius, quam apoplexiā exquisitam sanari liquet. Major gradus et tenuor symptomatum apoplexia sic dicta fulminans et exquisita, cum sensatione et motu insimul repente exhaustis et cum gravioribus cerebri mutationibus, extravasatis,

vasorum rexì etc. incedens, non aliam, nisi funestissimam admittit prognosim. — Quo profundior somnus, quo major sub illo insensibilitas, quo majores ronchi, nisi in sanitate familiares fuerint, facies quo magis pallida et collapsa, hippocratica, respiratio quo magis laesa, sterterosa, anhelans, quo copiosior circa os colligitur spuma, quo pertinacior vomitus absque ingluvie praegressa, quo validior dentium stridor, eo majus periculum. Deglutitio ita laesa, ut ori commissa per nares regurgitent, pessimum sistit signum. Secundum *Kleinii* interpretem clinicum levior apoplexia solvitur superveniente sudore multo, aequabili, rorido, et urina copiosa, crassa, diarrhoea non nimis valida, aliisque, quae jam sub terminationibus adduximus, revertente motu et sensatione. Cutem quidem mollem, vapore madidam cum *Quarino*, *Frank* amat, sed sudores largos, frigidos, viscidos reprobat. Artus, animaque frigida, pupillae abnormis dilatatio ejusque immobilitas, ster tor increscens, alvi urinarumque spontanea excretio, horumve suppressio, continuae sub insultu convulsiones, tetanus, pulsus inaequales, suppressi, intermit tentes, furor, loquela, respiratio et deglutitio valde difficilis vel penitus denegata, malum portendunt exitum. Si respiratio adhuc illaesa ancipitem prognosim esse statuendam, *Morgagni* et *Burserius* dixerunt. Pulsus frequentissimi, urina spastica (*Schönlein*), paralysia muscularum buccinatorum (*Stokes*, *Andral*, *Piorry*), motus convulsivi alterius lateris ac pectoris (*Quar in*) sunt lethales.

3. *Duratio morbi et insultuum repetitio.*

Quo longius perdurat morbus, eo majus est periculum. Levis insultus sub circumstantiis faustis, rectaque adhibita therapiä facile, absque malis posthumis, resolvitur; fortis vero vel subito necat, vel paucis post diebus fortior repetit, et lateris sinistri frequen tius ac dextri paralyses, aliaque sub terminationibus

apopl. recensita mala, relinquere solet. Quo saepius redit insultus, eo majus periculum est; tertius insultus saepe necat (*P. Frank*); *Rösch*¹⁾ tamen enarrat casum, ubi in auriga, 65 annorum, septies per septem menses alter post alterum, insultus apoplecticus absque ullo malo posthumo reliquo intravit, et dein sanatus fuit. Quilibet insultus sublatus magnam in recidivum proclivitatem post se trahit. Quilibet insultus apoplecticus quasi prodromus sequentis respiciendus (*Cruveilhier, Andral*). Novus insultus juxta *Baglivium* metuendus est, ubi major in lacrymas proclivitas, aut ubi vertigo hinc inde comparent.

4. *Reactio universalis.*

Febris primis jam morbi diebus accessus characteris synochalis, secundum *Hippocratis* aphorismum (V. Sect. VI.): „Quibus sanis dolores derepente fiunt in capite et statim muti evadunt ac stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris prehenderit“ — bonum est signum, qua febri saepe solvitur malum. Sed, ut febris salutaris sit, illico post insultum supervenire et respiratio leviter et placide contingere debet; ubi autem haec gravior evadit, pessimum denotat; dein respiciendus est febris character; febris putrida, nervosa, febris intermittens larvata, sub schemate apoplexiae, non semper faustum praebent omen. — Nunquam in morbi exitu praedicando dynamicus febris character est negligendus, optimum erit, ubi intra limites erethismi versatur. Eo autem in gradu, quo ad synochalem fortè aut ad torpidum accedit characterem, prognosis tristior evadit. De febri sub paralysi, ex apoplexia enata, *Boerhave*²⁾, vir magnus, dicit: „Febris non curat omnes paralyses (p. 723 excipio natas ab inflamma-

¹⁾ Medizinische Annalen, Bd. III. H. 1.

²⁾ *Boerhave*, de morbis nervorum. II. p. 720.

tione, plethora et febri); nam si oritur a caro, febris auget eam in apoplexiā; hinc sanat tantum illas, quae a causa lenta oriuntur; nec omnis febris aequē benefica; sed si oritur in initio ex vi vitae, nec est naturae hecīcae, sed de natura intermittentium, tum omnia conquassat et concutit, et supervenit calor cum magno et salutari sudore.“

5. *Anni tempus.* Morbo attonito tentati *tempore imprimis autumnali* rarissime convalescunt. Hoc tempore quasi natura, vis medicatrix, valde esset pigra ad morbum tollendum; per aestatem *corpus quodlibet versus autumnum plus minusve debilitatum redditur*, functiones singulae organismi non in eodem tenore et alacritate, ut in vere perficiuntur, fitque iners; hinc etiam vis medicatrix, quae per morbum adhuc magis debilitatur. „Ubi autem succubuit natura, ut suis resurgere viribus nequeat, medicus non manet amplius minister, sed interpres, rector et heros praepotens“, ut cum excenso *Celso* loquamur; hinc plurima a remediis recte adhibitis, paucissima a natura speranda. Quapropter autumno fortissima et validissima remedia sideratis exhibentur, quibus persaepe salvantur, ut nobis bis observandi occasio data fuit. In apoplexia *vere* obveniente prognosis melior statuenda est, nam ad morbum auferendum plurimum, imo fere omnia natura medicatrix, virgo haec bona, contribuit, cum per hanc vitae vigor in organis centralibus de die in diem increscit et medicus naturae tantum minister est. Apoplexia sub *sidere ardente* intrans pejor, quam sub *hieme imperante*; *aestas* et *hiems* fere semper mala postuma plurima apoplecticis inducunt.

6. *Respiendae quoque complicationes apoplexiarum inter se vel cum aliis morbis.*

Apoplexia sanguinea aut serosa cum nervosa complicata semper cum infausto exitu conjuncta. Apoplexia sanguinea complicata cum serosa tristem facere sinit

prognosim. De complicatione cum aliis morbis hoc adduci satisfit: quo gravior et periculosior morbus, quo cum apoplexia complicata, eo minus faustum praesagium faciendum. Complicatio cum cachexiis gravior, quam cum inflammationibus, gravissima cum nevrosis.

In genere, si apoplecticus ad tractandum suscipiantur, nunquam nimis cito praesagium faciendum, et statim adstantibus dicendum: „si mihi contigerit etiam hunc aegrum servare, non possum pro tempore cum certa certitudine edicere, an non mala quaedam postuma intrent. Semper cura longius tempus durabit, quia centrum centrale, pars nobilissima corporis affecta est.“— Hic semper adhuc praeter momenta superius adducta ad vitae genus, consuetudinem, conditionem aegri et opificium, haereditariam constitutionem, ad morbos praegressos, domicilium, causam, introitum morbi, characterem stationarium, ad epidemias regnantes et earum formas, ad therapiam hucusque adhibitam etc. respiciendum. Homines, qui multum sedent, nentes, nutrices, desides locupletes, miseri, fabri ferrarii, caupones, magistri conviviorum, vetulae semper gravius adficiuntur, quam alii homines. Sic in illis, qui ex morbis praegressis debilitati, exhausti sunt, qui brevi ante insultum magnas haemorrhagias aut magnum aliorum humorum dispendium perpessi sunt, semper tristior prognosis facienda erit, quam in illis, qui semper sani fuerunt.

Domicilia angusta, humida, hominum et animalium magna copia repleta, penuria rerum, si haec non amoveantur, multum ad tristem prognosim contribuunt. Epidemiae regnantes semper apoplexias graviores redundunt, et ideo tristiorum prognosim inducunt. Apoplexia neglecta, male aut non tractata, semper tristem prognosim reddit, et s. p.

Memoratu dignum in hoc morbo est, quod aegri,

et praecipue illi, qui jam semel apoplexia detenti fuerunt, *insultum novum apoplecticum venientem* ante tres, quatuor, vel quinque horas, imo ante nychthemerum praesagiunt; accusant tales aegri sensum ardoris in medio sterno versus caput adscendentem, sensum formicationis in extremitatibus, sunt inquieti, agiles, timiduli et a medicis explorant, ut ipsis auxilientur; nonnulli ardorem sub mictu adcusant. Hoc in tribus individuis nobis observare licuit, et praesertim in una femina in divisione **Celeb. C. R. Consil. et Vice-directoris Dr. Seeburger**, medici medentis sagacissimi et expertissimi, quae mane insultum apoplecticum, post meridiem venientem, praesagiebat, et mirum in modum revera hora tertia pomeridiana, licet epitheta glacialia capiti adplicata, cucurbitae scarificatae nuchae adpositae, et ad tubum intestinalem derivantia aliqua in usum vocata, insultus fere lethalis apparuit apoplecticus secundus, nam ex morbo attonito prima vice correpta in divisionem suscepta fuit. — Nonnulli, quin causam rite assignare sciant, *mortem mox insequentem raticinantur*, vide **Observat. II.** Hoc praesagium de instantे morte jam antiquis notum fuit et impri-
mis Philosophus *Plato*, discipulus *Socratis*, hoc se-
quentibus verbis assignat: „Αὐτοὶ ποιεῖσθαι χρησμωδούσι, ὅταν μελλωσιν αποθανεῖσθαι“, sed nullibi adductum, quod Syderati fatalia ultima vitae momenta sibi et aliis praecantare valeant.

§. 21. Therapia.

Hacc duas complectitur partes: *curam prophylacticam et curam therapeuticaem.*

I. Cura Prophylactica.

Si morbi hujus naturam perniciosa perpendimus, ultro patebit, therapeutica principia non tantum aegro-

rum curationi, verum etiam sanorum conservationi accommodanda esse, curamque, quam dicunt prophylacticam, si non majoris, certe non minoris esse valoris ac ipsam curam radicalem. Hoc autem curationis consilium tales exigit coordinationes medicas, quibus mali evolutio impediri queat. Ad praepediendam vero morbi evolutionem apprime requiritur evitatio omnium momentorum, quae sive dispositionem generent et exalent, sive hacce jam praeexistente totidem eruptioni fontes praebeant. Unica cura prophylactica sufficit, ut apoplexia jam imminens retardetur, accessus praevertatur, sanitas conservatur vitaque salvetur. *Celsus* totam curam prophylacticam duobus verbis complectit: „quies et abstinentia“, quae cura moderno, delicatulo et luxurioso aevo vix quidquam valebit.

Ut vero tractamen prophylacticum rite instituatur, semper respicienda sunt: consuetudo, aetas, constitutio in quolibet aegro, uti momenta praedisponentia, et causae excitantes, tandem morbi praegressi et praesentes, quae fors cum malo praesenti in quadam necessitudine versantur. Facies, pulsus, vibratio carotidum, temperatura capitis, status functionum singularium organorum, se- et excretiones abdominis quoque solerter explorandae sunt. Circulo sanguinis accelerato, congestionibus versus enkephalon frequenter contingentibus, ille refrenandus et enkephalosymphoresis mitiganda et auferenda; caput semper frigide servetur, aqua frigida mane et vespere lavetur, vel frequenter adponantur capiti epithemata frigida, vel per vices psychrolusiae instituantur. — Si circulatio laticis vitalis per morbosas pulmonum, cordis aut hepatis affectiones prohibetur, et si hae affectiones apoplexiā provocare minantur, tum topicae sanguinis depletiones et purgantia exposcuntur. Circulus acceleratus compescendus per digitalem purpuream. Si cum hoc statu, nempe cum morbis pectoris et abdominis, debilitas et

corporis lassitudo conjuncta, tum parvae sanguinis detractiones per cucurbitas siccas et cruentas, fonticulos, vesicantia, summopere convenient. Semper tamen adtendendum, ut haec impedimenta circulationis, sive in organis pectoralibus sive abdominalibus resideant, quo oxyus congruo auferantur modo; si autem removeri non possunt, caveant sibi aegri ab omnibus iis, quae sanguinis torrentem ad caput excitant, quo respectu sint in potu et cibo moderati et adhibeant supra adducta medicamina.— Plethora ubi adest universalis, modicae sanguinis depletiones, phlebotomiae hinc inde institutae, bene conducunt, nec usus eccoproticorum antiphlogisticorum est negligendus, praesertim, ubi proclivitas in alvi stypsim — sexui sequiori in genere connata — adest¹⁾). Regulae hae prophylacticae eo

¹⁾ Hic adferimus signa verae plethorae, quia in paucis libris medicis clare et distincte adnotata invenimus. Signa verae plethorae sunt: habitus corporis robustus, bene nutritus, facies rubra et turgida, oculi rubentes, splendentes, venae jugulares turgescentes, carotides pulsantes, calor per totum corpus adactus, interdum dolor capitidis gravatus, tinnitus aurium, vertigo frequens, praesertim post somnum, aut si caput demissum subito elevatur, oscitatio molesta, nonnunquam tremor, spasmus, stupor extremitatum, gravitas et delassatio artuum, respiratio brevis et molesta, cordis palpitatio et anxietas, animi demissio, somnus inquietus insomniis terrificis interruptus; pulsus plenus, fortis, magnus, tensus; exasperatio omnium horum symptomatum per calorem externum, corporis motum, animi intentionem, post coenam lautam, potuum spirituosorum usum; imminutio vero eorum per refrigerantia, calorem animalis compescientia, per profluvia sanguinea, epistaxis, mensum vel haemorrhoidum fluxum, per venaesectionem adhibitam. Diagnosis adhuc certior redditur ex cognitione praegressorum momentorum sanguinis in majori quantitate generationi faventium, quae sunt: vietus nutriendis, carnosus, potus vinosus, sanitas perfecta, digestio bona, profluvia sanguinea, vel aliorum humorum naturalia aut assueta imminuta, sive suppressa, vita otiosa curis vacua etc.

Notandum tamen illa modo recensita symptomata plethoram veram denotantia, non omnia simul et semper adesse: interdum ipsa essentialia desunt, interdum et alia insolita, vel ex irritabilitate subjecti excedente, vel ex obstaculis circulationis et inde ex accumulatione sanguinis magna in partibus cor-

magis observandae, ubi genius simul epidemicus, qualis tempore autumnali et hiemali observari solet, dispositioni in huncce morbum favet.

In genere diaeta in hoc morbo summe respicienda est; victus sit tenuis, non nimis alibilis, e regno praecipue vegetabili depromptus, cum carnibus junioribus alternans; potus sit aquosus, temperans, diluens, acidiusculus, et sec. *Cullenium cerevisia* tenuis anteponenda est aquae, facilius obstipationes producentis??!! Nimia ciborum ingurgitatio vitanda, dispositus saepe edat, ast non multum, evitet coenas vespertinas, omnesque epulas lautas, caveat ab omnibus stimulantibus, aromaticis, calefacientibus; caute abstineat a potu spirituoso, aromatico, stimulante cuiusvis generis, praecipue a cremato et vino novo, evitet vinum mixtum, quod cite inebriat, mustumque crudum, saepe sat cito apopl. inducant. Alimenta dispeupta, fructus crudi, farinacea, legumina et similia evitanda; neque homo post ventriculum oppletum statim eat cubitum; somnus diurnus sive meridianus evitetur, de hoc jam *Schola Salernitana* dicit:

„Sit brevis aut nullus tibi meridianus somnus,
Febres, pigrities, capitis dolor atque catarrhus:
Haec tibi proveniunt ex somno meridiano.”

Et alio loco dicit:

„Ex magna coena stomacho fit maxima poena,
Ut sis nocte levis, sit tibi coena brevis.”

neque capite nimis declivi cubet homo; somnus in genere non nimis protrahatur, thorax sit corio tectus, stratum sit simplex durumque.

Frequens Nicotianae, sit sub pulveris forma vel fumi cum pipa vel sic dicto: „Cigarrenrauchen,” quod

poris praestantissimis prodeuntia, uti: status soporosus, spasmodicus, mentis turbationes, lipothymiae sensus; pulsus parvus, ad speciem debilis, intermittens etc. observatur.

summopere noxium, quia fumus statim olfactarios, gustatorios nervos, oculos, et cerebrum ipsum debilitando afficit, uti et potus arabici usus interdicatur. *Bergius*¹⁾ potum coffeae apoplecticis et lethargicis noxium esse declarat, idem tamen asserit, vim quamdam coffeeae inesse excitantem, quod apud Arabes quosdam evidentissime compertum fuit, qui, cum opio abusi sunt, potu coffeeae iterum eriguntur. Nos de his suo tempore adhuc plura adducemus, et tantum hoc dicimus: **1.** quod sub nonnullis circumstantiis coffeea noceat, sub aliis summopere apoplecticos juvet; nocet in apoplexia nervosa, juvat in sanguinea et serosa; sed modicus tantum usus. **2.** Potus e fabis arabicis suam vim praeципue exerit in sistema gangliare, hoc excitat, congestiones ad organa abdominalia majores inducit; hinc a partibus superioribus sanguinem detrahit, cerebrum liberat a nimia ejus mole et sic leviter excitat; attamen ut cum *Horatio* loquamur:

„Est modus in rebus sunt certi denique fines“
Quos ultra citraque, nequit consistere rectum:

3. Opium systema cerebrale, cerebrum ipsum ferit, sopore obruit etc.; potus e fabis arabicis, stimulando plexum solarem, contrario modo agit in cerebrum, hoc a sanguine liberat, incitat, homines ad labores proniores reddit, ingeniosos, imo valde exaltatos, ut in uno hortulano quotidie observamus. Si Deo optumo placebit, mox multa de „Coffea“ palam faciemus.

Tabaci usus apoplecticis minus conduit; sed si post largiorem usum ab eo repente abstinentes temulenti evadant, redire ad consuetudinem debent, eoque moderate uti, nam ex seculis mutatio consuetudinis praesertim veteris et noxiun et pestilentissimum habe-

¹⁾ Materia medica. Pag. 113.

tur; si vero post moderatum tabaci usum vertigo obser-
vetur, abstinere oportet.

In genere felix est ille, qui nunquam pipa neque pulvere herbae nicotianae usus est, et enixe rogamus quemlibet, qui ad praesens tempus non fumavit, ut non amplius fumet; nam nicotiana tabacum nervos vi narcotica obruit, nauseam, vomitum, diarrhoeam, copiosum urinae fluxum, difficultatem respirandi, anxietatem, cardiopalmum, pulsum debilem, contractum, sudorem frigidum, vertiginem, temulentiam, animi deliquium, et ipsam inducit apoplexiam nervosam; non memorando illa mala, quae ex saliva ejectione, sive descensione in stomachum enascuntur. In utroque casu concoctionis opus turbatur, habitus organismi totus enervatur, debilitatur, externa superficies pallescit, flavescit et breviter praeter tremores cachexia universalis, nullis remediis auferenda, inducitur. Quare jam recte *Nifelius apud Joan. de Mediolanum*¹⁾ dicit:

,,Decipit incautos, juvenesque, senesque Tabaci
Fistula; de Satanae fistula raptâ manu.
Dum struit insidias turdis, dum decipit auceps
Ut capiantur aves, fistula dulce canit.
Fistula dulce sapit, Philocapnis, fulta tabaco:
Illa sed ad Stygias fistula dicit aquas.“

Onerum gestatio supra caput, bajulis, operariis aliisque interdicenda, quum ipsis demonstrare admittamus, quod haec gestatio capiti summopere noxia sit, quum congestiones et ipsam apoplexiam causare valeat. Imprimis talibus subjectis dicendum, quod, si ex officio onera portare debeant, e. g. illis, qui in altis montibus habitant, et omnia sibi deportare debeant, non multum ante portationem spirituorum ingurgitent, nam tum eo certius immedicablem apoplexiam sibi contrahant.

¹⁾ De conservanda valetudine, praecepta metrica. Augustae Vindelicior. MDLIII.

Seniculi sint hilares, modicam commotionem quotidianam faciant, cibos sumant eupeptos, animalia cum vegetabilibus commixta, paucam vini dulcis interdum quantitatem bibant, ut vires refocillentur, et sic insultui apoplectico, cui maxime expositi, praecaveatur, vitaque longa conservetur.

Clamor impetuosoſus mitigandus, praecipue in infantibus, per causarum amotionem, quae clamorem excitant. — Risuſ effrenis, causans faciei ruborem, respirationem, circulationem valdopere turbans, vitam sensiferam summopere incitans, moderandus per loquelaſ attentam, severam, amotionem objecti, risum provocantis. — Fletuſ inmodicus, nervos valde debilitans, spasmos ciens, oculis nocens, respirationem turbans, per rectum et blandum sermonem compescendus, objectumque, fletum excitans, a mente dispellatur. — Saltatio, furore incensa, citatissima, sub forma „Gallopad“ et sub illa, ubi saltatrix vel saltator orbem continuo sine intermissione saltatorium versant, praecipue habitu apoplectico donatis, strenue interdicenda, iisque mala, ex saltationis immodicae abusu provenientia, uti: e. g. nimia exaestuatio corporis, turbatio circulationis, intensio nervorum, exinde provocata respirationis difficilis, cardiopalmus, congestiones versus caput, cephalaea, vertigo aliaque, exponenda, nam constant exempla ab *Ovidio*, *Plinio*, *Galen*o aliisque adducta, ubi medio sub saltu saltantes repente exanimes concidere. — Natatio modica non nocet, quin imo corpus viresque roborat, maxime autem nocet in aquam ex loco alto saltus in caput (das sogenannte mit dem Kopfe, oder auf den Kopf springen), nam non solum sub hoc saltu major sanguinis unda in caput pellitur, sed etiam quum primum caput aquae immergatur, refrigeratio capitidis repentina inducitur et sanguis ex partibus externis versus internas, i. e. cerebrum truditur, hinc apoplexiae, haematorrhoeae, dilacerationes tympani aliaque

innumera mala ex hoc insultatione enata, persaepe visa sunt. Magistris itaque natatorum dicendum est, ne discipulos suos ad hoc saltus genus nimis stimulent. — Sub suspirio frequenti, causa hujus inquiratur, an ex vitiis organicis cordis, abdominalis, pulmonum, aliorumque malorum proveniant; an ex colli fasciis, arctius adstrictis, thoracibus vestibusque arkte corpus constringentibus inducantur, nec ne?

Nimia mentis intentio profundaque atque assidua meditatio evitanda, et sermocinatione exhilarante, distractione objecti, vetusto mero atque non copiose sumto vino, balneis tepidis, — quatenus sanguinem a partibus superioribus detrahant et aequaliter versus superficiem externam distribuant, — mens et corpus recreatur. Docti a studiis severis abstineant; ast non simul et semel, verum successive, objecta alternando, minoremque semper intentionem adhibendo; praeterea faciant commotiones, exhilarant se. — Longa et multa vigilia debilitatis stimuli aromatici volatiles, uti sunt: valeriana, chenopodium ambrosioides et similia nervina probe cedent.

Vis vehemens affectuum et pathematum, omnesque affectus vehementes, utut proclives admodum sint ejusmodi homines, praepediantur et coercentur, omnes impressiones fortes sensuum externorum orgasmum humorum cientes, lucis, soni, odorum fragrantium mitigentur. — Iratos blandis complacare verbis et abhortari frustra tentabis: adprobes potius horum manifestiones, quasi justam sentires esse ipsorum iram¹⁾; fac, ut consideat iratus, quo inducta muscularum confessio vulcaneos animi componere motus juvabit. „Nöthiget einen“ — Kant²⁾ inquit, „der im Zorne zu euch

¹⁾ Psychische Heilkunde von M. Vereng. Bd. I. Leipzig 1817.

²⁾ Anthropologie in pragmat. Hinsicht abgefasst von J. Kant. Zweite verb. Aufl. Königsberg 1800.

in's Zimmer tritt, um euch in heftiger Entrüstung herbe Worte zu sagen — höflich, sich zu setzen; wenn es euch hiermit gelingt, so wird sein Schelten schon geringer, weil die Gemächlichkeit des Sitzens eine Abspannung ist, welche mit den drohenden Geberdungen und dem Schreien im Stehen sich nicht wohl vereinigen lässt.“ *Ira placata et sub ipsa reactione universalis provocata, uti: turgorem, congestiones versus cerebrum aliasque partes, praecipue, si individua plethorica, juniora, temperamenti sanguinici vel alvi stypsi vexata, potus aciduli refrigerantes, nitrati, mucilaginosi, emulsiones et similia antiphlogistica insigniter convenient.* Si vero debilitas per pathemata vehementia, praecipue per iram inducta, tum juvant valdopere leve infusum chamomillae, florum sambuci, parva dosis tartari emetici gran. semis ad vehiculum unciarum octo vel decem, sit aut aqua destillata, decoctum graminis aut althaeae; bene quoque conduceit infusum rad. ipecacuanhae ex gr. trib. ad uncias octo-decem; eibi sint eupepti, potissimum e regno vegetabili desumti, pauco aromate conditi; pro potu vini quantitas valde exigua cum aqua commixta exhibeatur. Si debilitas magna, lipothymiae, tremores artuum, stridor dentium, spasmī, levesque convulsiones post iram inducta, tum praecipue apud feminas delicatulas, sensibles, valde irritabiles, hystericas, pulveres *Doweri* et ipsa tintura opii simpl. dosi convenienti (gutt. j—jj), fluidum nempe benignae Lethe oblivionis, irae, curarum, molestiarumque, ex nostra experientia valdopere juvant.

Nocet omnis tristitia et timor summopere organismo, circulatio turbatur, nam pulsus tum arteriarum tum cordis, iis, qui timent, minimi ac maxime imbecilli sunt: partes in superficie positae algent, corpusque pallescit, tremor incidit, vox interrupitur, et vires denique convelluntur omnes. Haec animi pathemata repente hominem corripiunt coque valdopere nocent.

Ob timorem et immensum moerorem nonnulli repentina morte interierunt; quod scilicet imbecilla suapte natura, animula eorum, sub valido affectu oppressa, confessim exstincta et suffocata sit: quemadmodum luculenter et perspicue docet *Galenus lib. 2. cap. 5. de causis sympt.* **Hinc cane pejus et angue omnia illa,** quae non adspectu et auditu modo, verum et mentis agitatione tristia existunt, summopere fugienda sunt. Animus itaque exhilarandus, curae discutiendae et laetitia inducenda. Laetitia enim calorem excitat naturalem, spiritus temperat et puriores reddit, virtutem corroborat, aetatem floridam facit, juvenile corpus diu conservat, vitam prorogat, ingenium acuit, et hominem negotiis, quibuslibet obeundis aptiorem reddit. Convenit autem, ut haec ipsa laetitia sive gaudium sit temperatum, non excedens modum neque repentinum. Nimio enim et repentino gaudio, (quemadmodum *Galenus lib. 2. cap. 5. de caus. sympt. et Alexander Aphrodisaeus problem. 21. memoriae prodiderunt*), tanta fit cordis relaxatio, ut vis vitalis unacum innato calore tota egeratur ac dissipetur, adeoque syncope nonnunquam et repentina mors consequatur. Atque hujus rei exstant horribilia et pertimescenda exempla apud *T. Livium Deca. 3. lib. 2., Val. Maxim. lib. 9. cap. 12., Plinium lib. 7. cap. 32. et 53. et A. Gellium, lib. 3. cap. 15.* Gaudium itaque enorme diminuemus, si totalem impressionem varie partiendo adtentionem hominis exaltati ad minoris momenti res direxerimus, contraria ubique monstraverimus noxasque varias rebus saepe jucundissimis promanare posse probaverimus. — Laetitia modica tristiores animi affectus dispellimus, ad quod etiam contribuunt cibi suaves et boni succi, vinum subtile ac delectabile, boni et fragrantes odores, delectabilium rerum commemoratio et cum amicis ac familiaribus frequentior et jucunda conversatio. Breviter dictum, ut cum *Eobano loquamur, ad curas rodentes, animi pathemata*

deprimentia et excitantia dispellenda, quae facile apoplexiam inducere valeant:

„Utere convivis non tristibus, utere amicis,
Quos nugae et risus et joca salsa juvant.
Quem non blanda juvent varii modulamina cantus?
Hinc jecur et renes aegraque corda stupent.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicae nobile vocis opus.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulci sonum reficit tristia corda melos.“

Plutarchus in libro de virtute morum tradit, *Pythagoram* animo pacando sedandoque ab affectibus et perturbationibus vehementioribus Musicam adhibere. — Sed musica etiam habet suos fines, nam nimie exaltare non debet phantasiam, quia mox contrarium malum inducit. Quisque sibi facile in memorium illum motum recovabit, qui decantata requie *Mozartiana pro Sua Majestate Francisco I.* apoplexiae insultu coruptus, dicit *Schmolznop*¹⁾, ut exemplum adducamus.

Hic adhuc liceat referre pulchrum locum a *Hieronymo Fracastorio* adductum, qui de fugiendis animi pathematibus sequentia dicit:

„Tu tamen interea effugito, quae tristia mentem
Sollicitant, procul esse jube curasque metumque
Pallentem, ultrices iras: sint omnia laeta.
Alma Ceres te in hoc, Bacchi quaeque laeta juvabunt.
Munera, sic dulces epulae, sic copia rerum,
Sic urbis, sic ruris opes et summa voluptas
Visere saepe amnes nitidos jucundaque Tempe;
Et placidas summis sectari in montibus auras,
Accedunt juvenumque chori mistaeque puellae.“ —

Hoc tamen ignorandum non est, quod *obesis* non nullis, quibus corpus immodice plenum est, qui itaque ad apoplexiā valde dispositi sunt, ac iis etiam, qui spiritus admodum mobiles et calidos habent, interdum utile sit, si curis, timore et tristitiis confiantur: quo

¹⁾ W. R. Schmolznop, Diss. de Musae Polyhymniae effectu. Pragae 1836.

nimirum spiritus calor hebetetur, et nimia moles, quae corpus onerat, extenuetur aliqua ex parte atque auferatur, id quod uno ore confirmant *Paulus Aegineta* lib. I. cap. 57., *Aëtius* lib. 4. cap. 32. et *Rhazes* libr. 4. cap. 9. ad Almansorem.

Sub ebrietate et si insultus apoplecticus extimescit, affatim aqua tepida, tepido chamomillae infuso, vel irritatione faucium, vomitus ciendus, dein aqua pura egelida in magna quantitate superbibenda; exhibeantur pediluvia acria tepida; sinapismi, vesicantia ad nucham, brachia; enemata purgantia et bibatur pro gradu ebrietatis plus vel minus forte infusum e fabis arabicis, decoctum emolliens cum paucis aetheris aliquujus guttis, aut cum grano j—jj camphorae; gravi in casu ammonia pura plus minus aqua diluta, naribus attracta, bene conducit.

Corporis nimia exercitatio et intentio vitetur, motus corporis sit moderatus; caute evitanda exaestuatio, nimius cursus. — Sic quoque insolatio caute evitetur, tegatur caput mitra ex corio vel fungo parata, quaeratur locus umbrosus; congestiones non raro intercedentes hirudinibus tollendae temporibus et cucurbitis scarificatis occipiti paeprimis applicitis, et nequaquam spernendae sunt capitis lotiones cum aqua frigida, pediluviorum et sinapismorum usus, immersiones corporis in flumen prono capite. Insolatio detentus homo bibat succum citri, aqua copiosa dilutum sacharatum, aquam cum oxymelle simplici, syrupo aceti, acetum vini cum melle despumata et aqua; acidum sulfuricum dilutum (gutt. xx — xxx) cum aqua et melle despumato etc. — Calore nimio sub laboribus assiduis, corpus multum intendentibus, tempore aestivo, loco aprico, urenteque sole peractis, juvat assumere refrigerantia: aquam frigidam; aquam cum aceto; aquam cum oxymelle; acetum cum melle despumato et aqua; acidum tartricum cum saccharo et aqua sub forma limonadae; pulveres

aërophoros ; potionem *Riveri* ; pulveres aërophoros *Hufelandi*, *Vogleri*; vina acidiuscula cum aqua; acida mineralia, praesertim elixirum acidum *Halleri* cum aqua frigida vel quomodocumque propinata, ne totaliter vires exhaustantur, neve delassati nimium apoplexia pereant. — Ast eodem in gradu, uti motus corporis nimius, nocet motus defectus, vita segnis sedentaria, imprimis post prandium. Sessio longius continuata maxime nociva, si corpore fit incurvato et genubus multum flexis, nam sanguinis fluxus et refluxus per pedum et abdominis vasa retardatur, hinc in partibus minus impeditis, thorace et capite, fit nimia sanguinis accumulatio, et inde non solum, quod digestio, assimilationisque opus turbatur, sed etiam respirationis turbae, cephalaeae, vertigines graves, temulentia et ipsa apoplexia inducit; haec omnia mala adhuc augmentur eo, quod intermisso motu musculari, homo locum, quem in aëre tenet, non mutat et, dum, ut plerumque fit, in domicilio clauso degit, eundem semper aërem, spiritu exhalato et aliis modis corruptum, iterum iterumque respirare cogitur. Similia mala provocantur ex propria corporis incurvatione. Omnia exinde enata mala stimulis modice volatilibus, balneis tepidis, frictionibusque ope lintei calidi, denique laboribus moderatis, tolluntur; exercitium corporis potius sit modicum, ita, ut omnes organismi operationes adjuvet, quin corpus nimis exaestuet; hinc commendantur motus passivi, equitatio, vectio in curru et ex nostra opinione lusus, nostro aevo sat frequens celebratus sub nomine „Billard“, per hunc partes omnes, musculari, quin nimie intendantur, moventur, sanguis minima vascula permeat, circulatio quidquam vividior fit, stagnatioque sanguinis in partibus superioribus et exinde cephalaeae, vertigines, muscae, scintillae ante oculos, turgor calorique faciei, insultus apoplectici enascentes, minus extimescendi. Exercitationem corporis, quae multa mala

auferre valet, *Sydenhamus eximus*, (Observat. med. sect. IV. cap. VII. pag. 193.) eximiis his laudat verbis: „Et ut, quod res est, loquar, non in hoc tantum casu, sed in morbis aliis chronicis quam plurimis hoc exercitii genus nunquam non cum uberrimo fructu usurpatum memini, modo quis in illo improbius perseveraret. Si enim nobiscum reputemus, ventrem inferiorem, in quo disponuntur organa secretoria, hoc maximo exercitio vibrari eaque succussionibus aliquot mille uno in die exagitari solere, facile credemus, eadem succum quemlibet recrementium ibi impactum ope dicti exercitii posse excutere et (quod majoris adhuc est momenti) validiore ista caloris nativi excitatione ita corroborari, ut munere, quod iis mandavit natura, in sanguine depurando recte defungantur.“

Obesis, pinguibus, pituitosis, plethoricis, habitu apoplectico donatis, lusus chartarum (Kartenspiel) et lusus latrunculorum (Schachspiel), quatenus hic, praeter mala ex motu corporis neglecto, etiam valdopere cerebrum mentemque afficit, debilitat et exinde apoplexiam nervosam inducit (ut pluries in ephemeredibus nobis legi licuit), strenue interdicendus, praecipue illis, qui ejusmodi lusus, quasi ex professione, furori tentati, exercent, iisque mala exinde provenientia, quae etiam exemplis corroborantur, benigna sermocinatione exponenda. Hoc eo magis faciendum, quum ira, haec flamma interna furiens corpusque devastans, timor, ob ludi amissionem, aliaque animi pathemata, immodicus tabaci usus, continuo cum his ludis in lusu conjuncta sint. Hinc quilibet bonus medicus, qui sanitatem non solum suorum cognatorum, sed aliorum hominum conservare vult, homines tali vitio detentos admonet, ne pecunias perdant, corpus animamque devastant, et tantum finem talium lusuum respiciant, qui nunquam bene finiri possunt.

Taedium temporis, desiderium inane, defectus oc-

cupationum, negligentia supina, per sermocinationes amoenas, venationem, modicam corporis exercitatem auferatur; auferatur etiam per amorem virginis pulchrae atque bonae. Nam „amor“, ut cum Hartmanno¹⁾ philosopho medico excellenti atque ingenioso, loquamur, „lucis divinae radius, animo humano inlucens, ipsius mentis vitam ad potentiam altiorem extollit, quae, in sensiferam et omnem aliam corporis vitam redundans, functiones omnes impellit, universalem simul omnium concentum restituens, summum salutis humanae cuiuscunque conservandae, promovendae, restituendae admiculum.“ Sed hic amor fines suos excedere non debet, nam ubi in effrene animi pathema aberrat, praeprimis si frustra lacessit, per nimiam, quam sustinet, vitae incitationem, et per tot alias, quos comites sibi legit, adfectus dejicientes, et mentis et corporis valedudinem subvertit.

Coitus et amplexus venerei nunquam immoderate, nec post spirituosorum abusum aut ventre cibis repleto, praesertim senibus celebrandi. Coitum nimium amantibus hominibus, per hunc debilitatis, exhaustis, enerbatis, his mala, ex hoc provenientia, exponenda, nam coitus nimius plus systematis nervosi intentione, quam humoris jactura nocet. Si autem coitus exercendus, hic modice exerceatur, jacendo, ita, ut femina succuba et vir incubus sit. Bestiales concubendi modi valdopere vituperandi sunt; hoc jam docuit Albertus Magnus²⁾, et Sanctorius dicit: „Corporis agitatio in coëndo, instar canum, magis nocet, quam seminis emissio. Haec solum viscera, illa omnes nervos et viscera defatigat. — Usus coitus stando laedit musculos et eorum per-

¹⁾ Ph. C. Hartmann, Theoria morbi s. Pathologia generalis, Vindobonae 1828. Pag. 447.

²⁾ Alb. Magnus V. d. Geheimnissen der Weiber; v. J. Hieronymus Brand. Dritte verb. Auflage. Frankfurt und Leipzig. 1800.

spiratum diminuit.“ — Recto blandoque sermone amicabiliter exponatur feminis, ut non sint Messalinae, et viris, ut non valde libidinosi sint, recordentur, quod sint viri, mente rationeque sana praediti, quod libidinem nimiam frenare valeant, dicatur ipsis, quod eximius *Hallerus*¹⁾ jam dixit: „*Homini adeo modicae sunt vires, ut non multo plus, quam bis in septem diebus coire possit,*“ et quod *Dr. Luther*: „*In der Woche zwier, macht des Jahres hundert und vier, schad't weder mir noch dir,*“ et sic accessus apoplectici praeceavantur, mens, vires corpusque sanum conservatur.

Masturbatio per rectum sermonem, expositionem malorum, quae hanc excipiunt, interdicenda, si hoc nil juvat, tum ad habitum antimasturbatorium sub nomine „*Onanie-Sperre*“²⁾ recurrendum; sed etiam hic, praeter quod valde molestus, onaniam non semper praepedire valet. Hinc putemus, si omnia frusta erunt, ut tales homines, si tantum possibile, ineant conjugium, et revocamus in memoriam, quod cel. *Platner* dixit: „*Certum est, occulta desideria pejora et magis noxia esse, quam plena honestarum seminarum gaudia et rurum moderatumqne Veneris usum.*“

Individuis pastosis, pituitosis, pinguibus, phlegmaticis, dispositis nimirum ad apoplexiā serosam, pituitosam, recommendetur diaeta sicca, roborans, purgantium nonnisi validorum usus, ex familia roborantium, uti: e. g. *Rheum*; exercitium corporis frequentius, aliquando fonticuli quoque prosunt.

Ad vestimenta quoque attendendum, ne arcte stringant corpus, nam circulationem turbant; collare arctum faciei turgorem et livedinem causans est solvendum, thoracula angusta, cingula, periscelides sunt detrahendae aegerque incedat indutus vestibus latis.

¹⁾ Elementa Physiologiae. Tom. VII.

²⁾ *Gräfe*, Journal, Bd. XVII. II. 3.

— Cubile sit frigidum, purum, non hominibus repletum neque animalibus, aér saepius renovatur; nimius calor artificialis, mora in conclavi multum calido prae-
caveatur. Sub aestu intolerabili fenestrae aperiantur,
sed summa cum cautione, ne refrigerium adducatur. —
Sub aëre frigido, humido refrigerium diligenter evitetur,
pedes abdomenque sicco calore foveantur, temperatura cubilis sit modica, praeterea bibatur leve infusum tepidum chamomillae, theae viridis, florum tiliæ, menthae pipertae, florum sambuci, vel vini generosi modica quantitas cum aqua commixta, cibi sint facile digestu, plerumque ex regno animali deponpta.

Effluvia et odores plantarum, fumigationes resino-sae, sive quarumcumque substantiarum nares graviter adficientium, praesertim nocte amovendae; nam valdopere nocent, quia sua vi nares, unacum his cerebrum adficiunt, et congestiones versus hoc promovent, quae vesperi et nocte jam ob ex natura majorem sanguinis affluxum versus cerebrum, valde periculosae evadunt.
Si noxia imminet aut adducta, tum illico aér cubilis purus restituntur, rigidusculo aëre renovatur; caput et totum corpus aquae frigida irrigatur, anatripses spirituosa cum aceto, acidis vegetabilibus et similia prophylaxim praebent eximiam. — Si gas me-phiticum, v. g. effluvia putrida, acidum carbonicum, vel narcotici vapores insidias struunt, tum statim fenestrae aperiendae, aér purificandus, gasi noxio chemice opponatur alio gase. oxygenium quoque artificialiter paretur et in pulmones inspireter, dein aceto forti naribus admoto, temporibus infrito, interne vero aethero acetico, potu coffeeae et similibus adhibitis optime fugantur. — Si metus sit, ne narcotica insultum, apoplecticum inducant, applicantur volatilia contrariae indolis, quae sint: Camphora, Coffea et similia, quae systema nerveum stimulant et ad aequabilem energiam disponunt. Si venena assumta, illico removeantur per emeticum, dein illa adhibeantur remedia, quae experientia

ocmprobat: acetum dilutum, acetum concentratum, aromaticum, acidum tartricum, succus citri, potus mucilaginosus, infusum coffeae, lac, aqua calcis, saponis, albumen ovi, tinctura gallarum, antiphlogistica, emollientia et s. p. — Frequentes sternutationes, irritatione nervei systematis, e. g. frictione in aliis regionibus praepediuntur, cessantque; praeterea naribus sorbillantur aqua tepida simplex, sive saccharata, decoctum radicis althaeae, malvae vulgaris, mucilago gummi arabici, seminum cydoniorum, oleum olivarum, oleum amygdalarum dulcium, lac, lac cum melle despumato et decoct. rad. althaeae commixtum; si haec omnia non juvant tum sorbillatur aqua frigida cum glacie commixta, aqua frigida cum paucis guttis aquae laurocerasi, imo cum gutta una aut duabus tincturae opii simplicis; si nil juvat, tum opii simpl. gutt. j — jj cum aqua aut decocto malvae commisceatur et ad sorbillandum exhibeat. Semper tamen semperque causa inquiratur, quae sternutationem provocat atque sustentat; saepe in organismo latet, saepissime autem extra illum. Nos praegresso anno in una femina, 32 annorum, valde delicatula, irritabili, hysterica, quae sternutationibus frequentibus — quovis minuto bis aut ter sternutabat, — derepente correpta fuit, quin causa eruenda esset, fere omnia remedia enumerata adhibuimus — nam sternutatio per totam diem durabat, donec ad aquam laurocerasi venimus, per hanc sternutatio statim siluit, et non amplius redivit. Post sternutationem remansit cephalaea et vertigo levis, quae post exhibitionem eccoproticorum ter de die disparuerunt. Nos drachmam unam aquae laurocerasi dedimus ad quinque libras aquae glacialis, ut sorbilletur.

Peculiarem sibi exposcunt attentionem profluvia habitualia et praesertim fluxus haemorrhoidalis et catamenialis, quae si supprimuntur, ob summum inde emergens periculum apoplexiae instantis, citissime per auxilia congrua, per *altrahentia*, uti: pediluvia, venaesectionem in pede institutam, hirudines, fomenta

tepidæ et cataplasmata ad anum provocantur; praeterea *pellatur* fluxus haemorrhoidalis per extract. graminis, tarax., tartarum tartarisatum, tremor. tartari, sulphur, pulveres aërophoros, boracem, purgationes aloëticas, extractum colocynthidis cum calomele, aut calomel cum pulv. rad. jalappae conjunctum, dein frequenter bibatur infusum herbae floridae millefolii. Menstrua sunt revocanda per varia *emenagogæ*, uti: per tremorem tartari, tartarum tartarisatum, boracem, aloëm, myrrham, pulveres aërophoros, acidum carbonicum, aquas sotterias, acidum carbonicum continentis, helleborum nigrum, sulphur, calomel, colocynthides, crocum et sabinam, bibatur etiam frequenter infusum summitat. millefolii; praeterea adhibeantur pediluvia simplicia et acria cum cineribus, vel sale culinari, hirudines ad genitalia externa, phlebotomia instituatur in pede, femora fricentur cum linteis siccis, applicantur interne eorum faciei cucurbitæ siccae et scarificatae, vel etiam fonticuli, vesicantia, sinapismi, uti etiam genubus, suris aut hypogastrio; dein imponantur cataplasmata genitalibus et hypogastrio; exhibeantur semicupia moderate calida, vapores in vaginam immittantur; adhibeatur etiam electricitas, saltus modicus, incessus sedulus, qui motus etiam haemorrhoidariis valdopere commendandus.— Si ex suppressa epistaxi congestiones validæ versus cerebrum, kephalaea, vertigo, variae olfactus, visus et auditus alienationes, temulentia, carebaria, si ipsa apoplexia sanguinea extimescatur, tum statim haec restituenda per sorbillationes frequentes aquæ tepidae, emollientium, per scarificationes profundas membranae mucosæ cavorum narium, imo per hirudines ad internam orificiorum narium faciem adpositas.— Rheumatismus, erysipelas, arthritis repulsæ per remedia leniter diaphoretica, sambucina, ammoniacalia, antimonialia, antiarthritica etc. revocentur.— Morbi præsentes pulmonum, viscerum abdominalium, febres adynamiae,

typhus contagiosus etc. juxta regulas therapeuticas, quantum possibile tractentur, ut accessus apoplecticus praecaveatur. — Exanthemata et impetigines suppressae promptam per insitionem artificialem restitutionem, aut, ubi haec locum non habet, irritationem saltem in locis prius affectis per episistica, praeter balnea, remediaque congrua interne porrígenda, requirunt. — Ulcera praepostere consolidata, e. g. pedum, iterum aperienda per epithemata irritantia, hirudines, scarificationes, vesicantia, fonticulos, setacea. — Exostoses, gummata, nodi, tophi, si ex syphilide per curam antisyphiliticam e cránio delendi.

Saburrae gastricae¹⁾, mucus in tractu intestinali nimie accumulatus, bibonibus praesertim insidiantes, cephalaeam, vertiginem, temulentiam, scintillas prae oculis et imo ipsam apoplexiam causantes, evacuantur; non tamen per remedia forte evacuantia, sed maxime per emetica antimonialia, ipecacuanham, et purgantia rhabarbarina mucumque emeliorantia, cum sale ammoniaco depurato, sale Glauberi exsiccatō, flavedine corticum aurantiorum, vel elaeosaccharo foeniculi et similibus conjuncta. Cum emolumento praecipue iis, qui ferre per totam noctem bibeant, exhibeantur etiam decoct. gramin., tarax. cum tartaro tartarisato et tintura rhei aquosa; vel decoctum graminis tamarindinatum cum tint. rhei vinosa et granis sex-octo salis ammoniaci depur., vel recommendetur divitibus, pinguibus obesis, pituitosis, qui medicamina respuunt, aqua Saidschützensis, Sedlitzensis, Püllnana, acidula Egrana salina, vel aquae Marianae. De die bibatur saepius deco-

¹⁾ Ad statum saburralem concludimus ex vivendi ratione, quae est luxuriosa, ex opplitude ventriculi, epulis lautis praegressis, alvi stypsi, symptomatibus dyspepsiae; ex lingua muco crasso obtecta, ructibus, vomiturbationibus et vomitu ingestorum, bilioso, oculis flavescentibus, facie rubra seu cuprea (facies bibonum), halitu foetido, inflatione, tensione et sensibilitate praecordiorum, cephalaea frontali etc.

ctum graminis; item clysmata stimulantia tutissime applicantur. Si proclivitas in apoplexiā e. g. habituali alvi obstructione fundatur, saluti aegri prospiciatur clysmatibus solventibus, iteratis remediis purgantibus salinis, et aquis soteriis supra enumeratis. Purgantia tamen per vices seponantur, ne primarum viarum nimius torpor inducatur. Praeterea iis, qui purgantibus multum abutuntur, damna ex his exponenda; nam tales homines per abusum purgantium, ventriculi et tubi intestinalis robur infringendo, passivas humorum ad viscera abdominalia congestiones adliendo, alvi segnitiem inducendo, functionum concentum tollunt, organorum omnium restorationem retinent, et totum labefactant corpus et sic facile in apoplexias nervosas incidunt. — Stases insigne et infarctus viscerum abdominalium per solventia, aquas soterias solventes et aperientes, deorsum evacuantia auferantur. — Alimenta qualitate peccantia, pharmaca debilitantia seu nimie incitantia, abusus purgantium, quae prodroma apoplexiae persaepe inducunt, fugienda et per aromata blandiora vel aromaticā amara, debite adhibita, auferenda. Quodsi febris intermittens forma apoplexiae incederet, praeter tractamen sub paroxysmo inferius exponendo, illico ad chinini virtutem, et quidem dosi solito majori (1—4 grana omni hora) configiendum. — Vitia organica cerebri et aliorum organorum, quantum possibile, removenda. Etsi ars in tollendis hisce malis parum valet, tamen, prouti casus simplex expostulat, exhibemus fortissima resolventia, antimonialia, mercurium dulcem, cicutam, digitalem purpuream, belladonnam, nucem vomicam etc. tum interne, tum externe, et pro varietate et loco organi affecti topice illimitationes discutentes, ulcera artificialia instituimus, et electricitatem applicamus.

Gravidae sub doloribus ad partum admoneantur, ne se repente nimie intendant; quiete dolorum seriem expectant et pedetentim omnes nervos magis magisque

ad foetus expulsionem intendant. Supervenientibus lipothymiis, hae tollantur per adspersionem aquae frigidae, vel admotionem aceti ad nares, lotionemque aceti cum aqua.

Post violentias externas: pressionem a sanguine, sero, pure, frustis osseis, auxilio chirurgico amovere debemus. — Si suspensum adhuc viventem, ejusque faciem rubro-lividam, linguam prominentem, oculos apertos, rubros, protrusos, invenimus, tum statim funis solvatur, sive si non possibile, laqueus, per quem quis suspensus, discindatur, sed ita, ut non suspensus repente humi cadat, tum miser in locum aëre puro repletum ponatur; solvantur nunc et partim removantur ejus arctae vestes (*Bernt*¹), caput quidquam elevetur tori ope, aqua frigida irroretur, et aceto tempora ac frons lavetur; retro aures hirudines medicinales adponantur et in brachio phlebotomia instituatur; ad suras epispastica; ante orificia narum teneatur lagenula aceti aut spiritus salis ammoniaci aperta; cervici etiam cum emolumento allium discissum, rasa cochlearia armoracea adponantur, orique instillatur, si bibere potest, ab initio leve infusum chamomillae, melissae cum paucis guttis aceti aut vini, vel jusculum carnium tenui; regio colli praecipue circa laryngem inungatur oleo olivarum, spiritu camphorato, aut spiritu vini, dein adponantur collo cataplasma emollientia modice calida; recto injiciatur enema ex sale, oleo et aqua, et pedibus exhibetur pediluvium cum sale culinari, cineribus, farina sem. sinapis etc. commixtum.

Submersum individuum praeter suffocationem apoplexiae lethalis periculo maxime premitur. Submersi aquis quam citissime eximantur, nares, cavum oris et faucium a spumis, arena, luto etc. contentis depuran-

¹) *J. Bernt*, Vorlesungen über die Rettungsmittel beim Scheintode und in plötzlichen Lebensgefahren etc. Wien, 1837. P. 116.

tur, ipsi vero capite et parte trunci superiore antorsum et modice deorsum declinantibus per aliquot minuta secunda reponantur, ut aquae, in faucibus, trachea collectae facilis per os ac [nares paretur effluxus, post situ horizontali, capite in latus verso, summa cum circumspectione vicinam in domum transportati, udis a vestimentis illico liberentur, calidis probe siccentur linteis, talibusque modice tegantur. Nunc vena jugularis aut brachialis incidenda, respiratio restituenda, dein pro circulo et animi praesentia revocanda, necessaria agenda. Hinc corpus tepide servetur, orificiis narum teneatur lagenula aperta Eau de Luce, spiritus C. C., salis ammoniaci volatilis, aceti etc. Tempora laventur aceto, aceto aromatico, spiritu aromatico aliisque similibus. — Si respiratio per spumam, mucum in trachea collectum difficulter reddatur, tum ob periculum apoplexiae non statim sternutatoria aut emeticum propincentur, sed mucus pedetentim removeatur, per oxymel simplex, oxymel squilliticum, cum paucis granis sulfuris aurati antimonii. — Vertigo continua et temulentia post casus tales remanens, auferatur per sanguinis detractiones tum topicas, tum universales, per fomenta frigida, capiti frontique adplicata, ex aqua glaciali, fomenta *Schmuckeri*, *Walteri*, per usum internum potus limonadae, seri lactis, potus nitrosi, emulsionum, per enemata emollientia, solventia, leniterque aperientia; de his plura legere licet apud Prof. *Bernt* op. cit. pag. 121 et sq.

Hominibus, habitu apoplectico donatis, ad congestiones versus caput pronis, suadendum, ut causas omnes, quae circulum valeant excitare, evitent, potibus refrigerantibus, diluentibus utantur, non autem spirituosis; nutrimenta sint digestu facilia, collaria sint sicca, nunquam strieta, positio corporis erecta potius quam incurvata, situs capitinis somni tempore elevatus, pedes tepide servantur, et adtantur, ut excretiones

omnes ex norma procedant. Individua ad apoplexiā disposita aestate et versus autumnum mane bibant aquas soterias, virtute leniter solvente instructas. Alvis semper sit lubrica. Si facies sanguine plena vel rubra, oculi prominent vel injecti, kephalaea gravis, vertigo, si pulsus carotidū plenus, fortis, tum universales et topicae sanguinis detractiones, praesertim per hirudines ad tempora, scarificationes in nucham, ad praevertendum insultum apoplecticum instituendae. Si autem haec symptomata post dispositionem haemorrhagiarum aut profluviorum appareant, tum sanguinis detractiones summopere indicatae sunt; hic adhuc attendendum ad morbum praegressum, ut restituatur, et ideo praeter alia remedia adhuc irritantia, revulsoria, et externe derivantia adhibenda,

Si e contra individua tenera, debilia, exhausta, vera virium debilitas, si pulsus carotidū debilis, facies collapsa, frons frigida, vertigo, temulenta, kephalaea gravis etc. absque congestionibas versus cerebrum, si praeterea individua hysterica, hypochondriaca, tum, ut insultui praecaveatur apoplectico, ad incitantia recurrentia; hic sumnum emolumentum restaurantia, gelatinæ animales, decoct. lichenis, ova, lac, carnes assatae, et sub datis circumstantiis chinaea, antispasmodica, uti: flores zinci, ipecacuanha, tartarus emeticus r. d., pulveres *Doweri*, et stimulantia, adferunt. Maxime tamen ad statum carotidū, pulsū cordis et arteriae radialis attendendum, nam saepe facies collapsa, pallida, et pulsus carotidū, arteriarumque radia, valde fortis, plenus; vel pulsus parvi, vix tangendi, vires oppressae. Hic si adhibeantur stimulantia, statim pejor status adducitur, et non raro ipse insultus, tum statim ad sanguinis detractiones, sub quibus pulsus fiunt majores, pliores, fortiores, et ad cito agentia purgantia, uti: e. g. ad potionem laxantem *D. V.*, ad jalappam, aloëm, gum-

mi guttam, aliaque, recurrentum. — Si longior abstinentia a cibis, fames, vel humorum nobilium jacturae, nimiae evacuationes, debilitatem apoplecticam jam provocarunt, ut ulterior hujus evolutio praepediatur, alimenta roborantia, nutrientia, aromatibus, uti: cinamomo, aniso stellato, foeniculo, cortice aurantiorum vel citri, pulvere radicis zingiberi vel acori condita, saepe sed refractis dosibus porrigantur; sic bene quoque exhibeantur juscula carnium concentrata cum vitello ovi, nonnihil de pipere, nuce moschata; item panis biscoctus; panis biscoctus *Boerhavii*; panatella cum croco, quidquam cinnamomi; juscula vinosa cum ovis; juscula ex cerevia et vitello ovi; juscula ex lacte, ovo et saccharo; pro potu aqua cum vino generoso commixta, ipsumque vinum generosum, sed modica quantitate assumtum. Praeterea serius, si digestio bona, utantur carnibus assatis, carnibus bene praeparatis: leporis, cervi, caprae, avium, uti: columbae, anserum juniorum, phasiani, sturni, fringillae, scolopacis, turdi etc.

Semper tamen, ut monuerimus, causae, organismo turbas inducentes, bene explorantur, et si contra eas agatur, frequentissime licet non solum insultum imminentem procrastinare, sed saepe etiam praevertere, salvamque vitam sustinere.

Ad curam praeservativam pertinent adhuc praeter citata: setacea, vesicantia nuchae adplicata, inunctiones unguenti e tartaro stibiato parati, et si casus urget, applicantur magni fonticuli occipiti, praeciput, si prodroma apoplexiae cum paralyseos charactere conjuncta in conspectum veniant; praeterea caput lavatur frigida aqua cum glacie commixta, adhibeantur etiam psychrolusiae; tandem saepius exhibeantur purgantia, pediluvia irritantia, et plaga vesicatoria in nucha longius tempus e. g. per unguentum frondum sabinae, vel pulverem frondum sabinae inspersum, vel per unguentum sub nomine Pomade de St. bois, aperte sustentatur.

Si apoplexiae epidemice oecurrunt, tum populus per scripta, prodroma apoplexiae assignantia, et per optima ibi adducta remedia prophylactica edocendus, ut se ab omni insultu apoplectico conservet.

Si vero insultus prodromis pluribus se insinuaret apoplecticus, hinc si laesiones facultatum mentis, ut memoriae languor, si gravitas et dolor capitis, vertigo magna, tinnitus aurium, caligo oculorum saepe rediens, et denuo disparens observentur; porro si vomitatio, torpor muscularum, lassitudo artuum maxima, balbutiens loquela; tandem si anxietas magna et oppressio pectoris se manifestant, tunc sine mora phlebotomia in usum est vocanda, quae larga sit oportet, ad libram saltem, ut revulsio magna impetretur, sanguinis congestiones ab encephalo deriventur et circulus in eo liberior reddatur; praeterea adhibeatur eccoproticum plus minusve forte, praesertim, si morbi organorum digerentium, aut nimia bilis accumulatio, quod per linguam crasse obductam, ructus, saporem amarum, foeces biliosos etc. cognoscitur, adsunt; nam emetica, quia sanguinis fluxum versus caput augent, nocent. Si autem valde necessarium emeticum, si sordes in gastere accumulatae et si plethora adest, tum prius vena secunda, dein emeticum statim porrigitur, optime in solutione (grana 1—2 tart. emetici aut sulfatis zinci); si autem emesis non necessaria, tum tartarus emeticus refracta dosi cum remediis salinis conjunctus exhibeat, ut nempe transpiratio cutanea promoveatur, tractusque intestinalis leniter incitetur, et ut ita sanguinis effluxus a cerebro melius contingat. Sub his circumstantiis antimonialia sistunt eximia prophylactica. — Turgore vitali valde incitato exhibeat etiam digitalis purpurea, ut actio systematis vasorum, morbose exaltata, deprimatur et energia systematis nervosi elevetur, cui scopo etiam elixirium acidum Halleri et alia acida respondent. — Sub sanguinis detrac-

tionibus universalibus attendendum, ne ex nimia sanguinis detractione status contrarius, debilitatis nempe, inducatur.

Quando vero prodromi nulli praecedunt, vel medicus, ubi insultus apoplecticus repente intravit, in auxilium vocatur, tunc minus ratio medendi directa, quam potius indirecta, si causae vel ignorantur, vel arte amoveri prorsus nequeunt, aut etsi jam amotae, permanentes in organismo reliquerint effectus, locum habet. Nihilominus justum regimen institui oportet: omnium primo aeger si cecidit in platea, et si medicus jam adest, arcenda est hominum turba, tum statim, si fieri potest, quin corpus conquassetur, in cubile sat amplum, modice obscuratum, aëre puro, frigidiusculo [calor cubilis ad 11 — 12° Réaum. moderandus] repletum, deportatur; tum ponatur in lectum non admodum molle et tepidum, capite quidquam elevato simulque denudato, idque pulvinari, ex pelle et crinibus confecto, suffulciendum; situs trunci sit suberectus, capite et pectore scilicet elevatis cruribusque bene tec-tis declivibus, vestimenta quaevis arcta prementia, stringentia, uti collaria, thoracula, cingula etc. solvantur, caligae detrahantur, fasciaeque quam citissime et quin aeger commoveatur, concutiatur, liberantur; frons aqua frigida irroretur, et reliquum corpus tepide servetur, hominumque et animalium caterva removeatur. Causa excitans agere fors persistens, si possibile, statim auferatur. Si autem causa non nota, quae insultum excitavit, tum perpendendum, cuius temperamenti habitusque sit aeger, quo vitae genere utatur.

Ut cura nunc therapeutica apoplexiae sit felix, plurimum intersit medicum, omnia symptomata exacte noscere, quae apoplexiam praecessere morbumque con-comitantur; diversa enim erit cura in diversis apoplexiae speciebus; de quibus inferius sermo erit.

S E C T I O II.

Tractatus apoplexiae specialis.

In prima sectione generalia de Apoplexia, natura et indole ejus disseruimus, quam in tres species, nimirum: in Apoplexiā sanguineam, serosam et nervosam divisimus, prognosim therapiamque prophylacticam generalem adduximus; nunc de singula apoplexiae specie tractabimus.

C A P U T I.

A. D E A P O P L E X I A S A N G U I N E A .

§. 22. Synonima.

Apoplexia calida veterum, apoplexia activa, sthenica, haemorrhagia cerebri, encephalorrhagia (*Piorry*), haemorrhœa cerebri (a graeco vocabulo *άίμα*, sanguis et *φλοι*, fluo), Blutschlag, Blutschlagfluss.

Apoplexia sanguinea est sopor profundus morbosus ex plethora vera aut spuria, indeque oriundis sanguinis congestionibus versus caput. Vasa nimirum distenta ex nimia humorum copia, aut cruar simul ex vasis suis ruptis in una vel altera cerebri parte effusus, premit organa sensorii communis, quo fit, ut illius functiones turbentur, obruantur et extinguantur.

§. 23. Nosographia.

Haec apoplexiae species hominem aut subito humili prostrernit, et uno quasi ictu enecat, aut quod cre-

brius evenit, praecedere solent symptomata, morbum gravem atque funestum indicantia, quorum plura jam sub apoplexiae nosographia generali adduximus et hic tantum de praecipuis sermo erit.

Ante insultum apopleticum aegri concurruntur: de dysphoria summa, cephalaea vellicante, pulsatoria, calore interno, dolore gravativo, vertigine, capitis temulentia et carebaria, stupore quodam mentis, inertia ad omnes tum psychicos, tum somaticos labores, somnolentia continua non praepedienda, formicationis ad frontem sensu, tensionibus ad nucham; artuum delassatione, sensibilitatis imminutione aut plenaria abolitione; diplopia, panophobiis, chrupsiis, scintillis et flammis pree oculis, visus obscuratione; aurium tinnitu continuo, susurru; narum pruritu, epistaxi; calore aciei per vices aducto; ructibus frequentibus, nausea et vomiturbationibus, linguae tremoribus, loquela impedita, balbutiente, appetitu prostrato, siti aducta, constrictionibus pharyngis; respiratione difficiili, alvo obstita, urina saturata, parce fluente; praeterea in talibus individuis invenit observans: faciei ruborem, turgorem et calorem aductum, oculorum splendorem, horum protuberantiam et illacrymationem, conjunctivam injectam; labia coerulecentia; venas jugulares turgidas, carotides vibrantes, pulsus radiales lentes, duros, tensos. Animi quandoque adest magna mutatio, est exaggeratus, fervidus; alias dejectus et timidus; quos amore prius amplectebantur aegri, nunc aversantur.

Sub ipsa hujus apoplexiae invasione: facies turget et rubet, aut plane livida, proprio modo desfigurata, conscientia plenarie suspenditur omnisque motus perfecte aboletur, et aegri alto obruti sopore truncorum adinstar immobiles concidunt, ac quidem teste *Morgagni* in id semper latus, quo paralysis futura; vasa sanguifera capitis turgent; calor corporis, praे-

cipue capitis, potius auctus, quam imminutus; palpebrae tumidulae, apertae, oculi protuberant, fixi, plerumque splendore privati, sed rubor non raro tantus, ut scleroticae vasa massa rubra quasi injecta esse videantur, pupilla dilatata, immobilis, visus obscuratus, auditus perversus; nares sanguine repletae, hinc non rara epistaxis; os apertum, spuma vel saepius saliva, non raro cruenta obiectum apparet; lingua turget, deglutitio aliquando perstat, saepius tamen est ablata, vomititiones vel vomitus; venae jugulares farcimatum instar adflatae, carotides fortiter vibrant, collumque non raro turget, rubet, imo et livet. Respiratio non citata, sed sublimis, profunde quidem inspiratur, nunquam vero thorax ex integro comprimitur; interim *Morgagnius* jam adduxit exempla, ubi respiratio vix mutata, ut in placide dormiente fuit, etsi cito lethale fuisse malum; ronchus et stertor non sistunt signa pathognomonica, utpote quae in apoplexia quoque serosa occurrunt; non-nunquam respiratio accelerata, dyspnoica evadit; quando autem larynx et trachea paralysi corripiuntur, tunc ore aperto, spumas agente, cum strepitu, rhythmo intermittente, inaequali peragitur; cardiopalmus vehemens. Abdomen plerumque plenum, generosum, maxime in subjecto physconico; alvus, urina, semen, sponte, insciis aegris dimituntur; corpus totum friget, sudore gelido viscidoque tectum; extremitates laxae, flaccidae, omni facultate motrice privatae, et si quaedam remanserit, sub quovis tamen conamine illas elevandi, mox cum pondere relabuntur; pulsus vel suppressi et fallaciter debiles, vel fortes, magni, duri, ut plurimum tardus — pulsus cephalicus veterum. Hanc morbi formam, character stationarius, inflammationibus favens, praesens, confirmat.

Fidelissimum atque constantissimum apoplexiae sanguineae comitem paralysis sistit seu motus musculorum imminutio aut abolitio, quae variam, quoad in-

et extensitatem induere solet faciem; facultates intellectuales plus minusve imminuuntur, aut penitus abalentur; non raro observantur in hac specie convulsiones in una parte, in altera paralyses. — Mitiori insultu decumbentes aegri leviora quoque ex symptomatibus enumeratis observationi tradunt; ac proinde aliquando succedit arti medicae, justo tempore et congrue adhibitae, aegrum absque malis subsequis pristinae restituere sanitati.

Hic mentio facienda de **Apoplexia cerebelli**. Quod haec apoplexia revera occurrat, sectiones innumerae extra omne dubium posuerunt. Sed in statu vivo haec raro aut nunquam cognoscitur. Praeter alia symptomata apoplexiae sanguineae propria manifestat se haec apoplexia per turbas circulationis et respirationis graviores et vehementiores, quam in illa apopl., quae sedem suam figit in cerebro magno. *Serres* dicit: „si apoplexia cerebelli individuum detentum, tum in viris penis erectiones et seminis ejaculationem, in feminis vero effluvium sanguinolentum e vagina observavit.“ *Crureilhier* autem dicit: quod pluries apoplexias cerebelli observavisset, quin symptomata a *Serres* adducta in conspectum venissent. Etiam hoc experientia non confirmavit, quod nempe cerebellum regulator omnium motuum voluntariorum et fons sensibilitatis sit, secundum opiniones *Flourens*, *Foville* et *Pinel* — *Grandchamp*.

Hic adhuc mentio facienda de **apoplexia cerebrali** veterum, quae fere cum dicta apoplexia sanguinea convenit, et de **apoplexia meningea** (*Serres*), quae praecipue infantes et senes plectit, fere semper lente intrat cum prodromis, e. g. sensu universalis rigiditatis, somno inquieto, hebetudine functionum intellectualium, pulsu tardo, respirationi difficulti, calore imminuto, digestione languida secretionibusque imminutis. Si profluvium aliquod suppressum,

aut laesio mechanica capitis adest, tum decursus quidquam rapidior. Sub hac specie os non distorquetur, symptomata paralysis nulla inveniuntur, respiratio in utroque thoracis latere aequaliter contingit, aeger decumbit in dorso, movet extremitates, si vellicantur aut irritantur.

§. 24.

Symptomata nunc enumerata plus minusve graviora et vehementiora in conspectum veniunt, prout ex simplici statu congestivo sanguinis versus caput, aut extravasato sanguinis in cerebri superficiem, aut in ejus substantiam, (quod jam sub necroscopiis ad ductum), fuerunt provocata. Congestio sanguinis praecipps, non vehemens versus caput, levissimum gradum apoplexiae producit. — Exiguum extravasatum solam temulentiam ad perfectam conscientiae abolitionem nequaquam accendentem, linguae debilitatem aut paralysim, inertiam muscularum unius corporis lateris inducere solet. Largior copia extravasati perfectam provocare solet hemiplegiam; major adhuc quantitas sanguinis effusi coma profundum, cum perfecta motus abolitione, involuntario secessu alvi et urinae, respiratione sterterosa, pulsu suppresso, imo mortem instantaneam (apoplexiā fulminantem) saepe inducit. Idem fere status adducitur per congestionem repentinam atque vehementem versus encephalon, qui eo gravior, quo largiore humorum copiam vasa omnia tam meningum, quam cerebri continent.

Ex his sat superque elucet, quod vis cerebralis nervosa, per sanguinis accumulationem, sive sit simplex congestio, sive contingat extravasatum, sive adsit dilaceratio substantiae cerebri, sit impedita et suppressa. Polus systematis nervosi centralis cum polo peripherico in communicatione versans, interrupitur,

hinc symptomata paralyseos, qua necessariae sequelae efficientiae sublatae singulorum cerebri partium in organa corporis peripherica, in conspectum veniunt. Quam primum autem cerebrum a nimio, quo obrutum est, sanguinis impetu liberatur, vel ab extravasato facto, quod sub circumstantiis secundis sat cito saepe contingit; quamprimum catena illa polum periphericum inter et sistema nervosum centrale restituatur, mox pristinam adipiscitur integritatem, quin ullum remaneat laesae functionum harmoniae vestigium. Quum autem restitutio illius catenae, per enatas cystides apoplecticas, membranas aut cicatrices impediatur, hinc clarum est, quod turbae functionum nonnullarum organismi, paralyses, hemiplegiae etc. per totam reliquam vitam persistare possint. —

Aeger potest plures dies in statu soporoso jacere, aut nonnullas horas; sive, quod rarius accidit, post paukas horas, imo post pauca minuta, si tantum apta therapia, instituatur, se erigere valet, pristinaque sanitas ita reddit, ac si nil accideret.

§. 25.

Sedes extravasati variat, tam ratione singuli cerebri lateris, quam ratione singularum cerebri regionum, quod jam sub necroscopiis adduximus. Hoc adhuc adducendum, quod in casibus fere omnibus paralysium in uno corporis latere residentium, causa in encephali latere opposito sit quaerenda.

Res autem multo difficilior et magis ardua est, a symptomatibus morbosis, quae singulis in casibus apoplexiae in conspectum veniunt, ad singulas concludere encephali regiones, quarum laesio hisce symptomatibus subsit, et quae focum sistant haemorrhagiae, et variae a variis auctoribus prolatae sententiae nequaquam inter se semper consentiunt. Sic *Foville*, *Pinel* et *Grandchamp* contendunt, paralysim extremitatum superiorum

in thalamis nervorum opticorum, paralysim extremitatum inferiorum in corporibus striatis, hemiplegiam autem in utroque organo simul residere. Contra quam sententiam *Cruveilhier* et *Andral* plura referunt exempla huicce opinioni renitentia. Celeb. *Schönlein* assumit extravasatum factum fuisse in thalamos nervorum opticorum aut in ventriculos cerebri laterales, si aeger coecus ambobus oculis, aut solum uno oculo. Si extravasatum factum in cerebellum, tum caput aegri recte tenere non valent, et semper inclinant ad extravasati latus. Si extravasatum factum in partem cerebri posteriorem, tum intrat abolitio loquelae et conscientiae. De haemorrhagia cerebelli celeb. *Serres*, praeeunte *Valsalva*, contendit, quod semper per morbosa symptomata in systemate sexuali, uti erectiones et spermatis ejaculationes, priapismum et satyriasm manifestetur, sed multa observabantur a celeb. *Andral* et aliis exempla apoplexiae cerebelli, quae nullis talibus phaenomenis fuerunt stipata.

§. 26. Terminations.

De exitu apoplexiae plura in generali tractatu diximus, hic solum adducendum: quod apoplexia sanguinea frequentius ac aliae apoplexiae species in sanitatem transeat, quia causae illius, plethora, congestio atque orgasmus, componi queunt. Sanitas restituitur per naturae molimina, nempe evacuationes criticas, jam enumeratas, et artis medicae auxilia. Sanitas perfecta rarius intrat, si accessus longius, quam duo nychthemera perduravit. Frequentissimus tamen apoplexiae sanguineae exitus in alios morbos ipsa morte nonnunquam magis detestandus. Morbi, in quos apoplexia transire solet, tendunt magis in exitus inflammationis; sic visa sunt: ulcera cerebri, meningum; colluvies purulenta in ventriculis cerebri; glandula pinealis tumida, pure plena. Facultatum intellectualium affectiones, memoriae debilitas et hebetudo, intellectus imbecillitas, stupidi-

tas, deliria aliaque saepe remanent. Sic quoque frequenter remanent sensuum externorum vitia, paralyses, paraplegiae, hemiplegiae, sphincterum resolutio, spasmi, tremores e. s. p. In hac apoplexiae specie, quousque adhuc extravasatum sanguineum non penitus resorptum, tunc nec symptomata morbosa disparent, nec sanitas intrat, et exitus malus semper imminet. — Sub circumstantiarum infaustarum confluxu terminatur apoplexia sanguinea in mortem, quum nonnisi raro simplex symphoresis habeatur, sed etiam extravasatio, vascula capillaria nimis distenta rumpuntur et ita effusiones locum habent, quae tanto facilius mortem producunt, quum efficiant, quod singulae cerebri fibrillae a loco proprio aberrant. Mors post paucas horas, post aliquot dies, communiter tamen intra primum et quartum diem sequi solet.

§. 27. Complicationes.

Nonnunquam effervescentia virium vitalium gradum illum ad processum reparationis absolvendum necessarium excedit, cuius dein effectum aut nova sistit haemorrhagia, aut exsudatio humoris serosi, aut demum partium vicinarum status phlogisticus varia cum terminatione, saepe in emollitionem, interdum in indurationem. Talis complicatio, teste *Andral, Stockes* et aliis, per deliria, sensationes dolorificas extremitatum, spasmos tonicos et clonicos sese manifestare solet.

§. 28. Aetiologya.

Causae apoplexiae sanguineae ad disponentes et excitantes revocantur. Quod adtinet momenta proëgumena, maxime haec conspicua inveniuntur in apoplexia sanguinea, minus in serosa, minime in nervosa.

I. Ad causas apoplexiae praedisponentes spectant: Haereditas, habitus sic dictus apoplecticus, aetas infantilis, annis 40 et 60 intermedia, nec non

senilis, sexus masculinus, temperamentum sanguineum, irritabile, nec non cholericum; frequens congestio humorum versus caput, epistaxis, susurrus aurium, somnus inquietus; vitia organica cordis et vasorum majorum, uti aneurismata, hypertrophiae, polypi etc.; emphraxes et desorganisationes viscerum abdominalium; uterus gravidus; vitia localia cerebri et partium illud circumdantium, uti: enkephalomalakia, abscessus cerebri, prava cranii conformatio primitiva, tumores cranii, aneurysmata vasorum cerebri, fungi durae matris, ossificationes, concretiones meningum vel inter se vel cum cranio, etc.

II. Ad causas apoplexiae sanguineae excitantes pertinent omnes illae, quae *a)* rapidorem sanguinis ad enkephalon affluxum inducunt; *b)* quae sanguinis a capite refluxum, quocumque modo, impediunt, et *c)* quae, modo antagonistico, irritationem cerebri ponunt, et tali pacto sanguinis torrentem illuc determinant; pertinent hic

ad *a)* Animi affectus excitantes, fortior mentis atque corporis intentio, stimulantia vinosa, aromatica, narcotica (opium, belladonna), vomitoria intempestive adhibita, balnea nimis calida, aestus excedens, capitis ad fornacem admotio, insolatio, motus corporis justo vehementiores, contusiones et vulnerationes capiti illatae, alapae fortes, ictus, pressiones cerebri ab exostosibus, tumoribus; coitus immodicus ventriculo imprimis repleto celebratus.

Ad *b)* Struma praegrandis, tumores scrophulosi circa collum, strangulatio, vestes et ligature nimis arctae, nimia ciborum ingurgitatio, bilis abundans (unde apoplexia sic dicta biliosa sub summis caloribus aestivis epidemic occurrit), ebrietas, { vomitus atrox, alvus dura, labores graves capite prono peracti, gravitas, mora diurna foetus in ima pelvi, rudis applicatio forcipum, situs corporis pravus, capite retrorsum et deorsum pendente, saltus immodicus, cantus, cla-

mor impetuosus, risus effrenis, cursus velox, natatus, tussis vehemens, morbi, respirationis munus laedentes, e. g. peripneumonia, hydrothorax; vitia organorum abdominalium etc.

Ad c) Suppressio haemorrhoidum, catameniorum, lochiorum, epistaxis, sudorum aliarumque evacuacionum habitualium, retropulsio exanthematum, impetiginem, erysipelatis, rheumatismi, arthritidis etc. Excitatur etiam apoplexia a refrigerio pedum subito excepto, venaesectione consueta omissa, sanatione praecoci ulcerum antiquorum; frigore hiberno, repentina tempeste mutatione. Cachexiae variae, scorbutus, syphilis, arthritis, non debite fotae aut anomalae redditae, etiam apoplexiam sanguineam inducere valent.

§. 29. Prognosis.

In apoplexia sanguinea prognosis in casu speciali ex aetate et constitutioni aegri, gradu, symptomatibus, indole et reditu morbi deponitur. Apoplexia sanguinea minus periculosior plerumque est, quam serosa, sed certe minus lethalis, quam nervosa. Bonum augurium sistunt morbi decrementum et evacuationes criticae. Neonatos et infantes saepe intra nychthemerum e medio tollit apoplexia sanguinea; in senibus si evadunt, vix non semper paralysis relinquitur; pessima inde afficiuntur habitu apoplectico donati. Si per longius tempus cephalaea, nausea, vomitus aliaque prodroma praecesserunt, si insultus apoplecticus dein repente intravit, tum prognosis semper infausta facienda et de vasorum ruptura, exsudatoque haemorrhagico facto, praesagendum. — Morbi dies octavus sec. *Copland*, *Cruveilhier* periculosissimus, quia in hoc frequentissime novum exsudatum, serosum aut sanguineum, novum extravasatum sanguineum in locis jam supra nominatis (vide extispicia) contingit, hinc summa quies animi et corporis, situs corporis semierectus, tepor pedum, regimenque

antiphlogisticum in primis duabus hebdomadibus post insultum servandum.

Coma, praecipue si diu durat, est valde ap. sanguineae periculosum symptoma, nam suspicari possumus de magno extravasato sanguineo, aut in partibus internis aut in ejus superficie residente, ita, quod focus haemorrhagicus cum ventriculis, aut cum superficie cerebri, aut cum ambabus partibus insimul cohaereat. — Si pupilla una contracta et altera dilatata, de exsudati existentia, sed inaequaliter substantiam cerebri comprimentis, concludere possumus.

Prognosis etiam facienda ex effectu, quem therapia provocavit; sic cel. *Quarin* dicit: Actum est de apoplexia sanguinea correpto, dum largae et repetitae venaesectiones, prima die institutae, nullum levamen adferunt.“ Et *Celsus* adserit: „Post sanguinis missio nem, si non redit et motus et mens, nil spei superest: si redit, sanitas quoque prospicitur.“

Paralyses, sub reditu conscientiae motusque voluntarii adparentes, critico videntur valore; eo quod morbi impetum ab enkephalo derivant. — Paralyses partiales remanentes seu Pareses saepius sanationis spem admittunt, si sensatio et calor partis non penitus extinctus est, vicissim autem, si sensatio omnis deficit, calor naturalis et nutritio decrescunt, nil speretur.

Ominosum valde, si apoplexia febri jam praesenti adsociatur; in febri quoque intermittente larvata prognosis infasta. — Deliria, respiratio citata, vomitus frequens, periculosam complicationem et valde tristem prognosim facere sinunt. Ad mala signa spectant: pupillae dilatatio ejusque immobilitas, convulsio unius et paralysis alterius lateris, involuntarius excrementorum secessus, spuma oris, facies elongata, sudor viscidus, frigidus, deglutitio sublata, pulsus intermittens, tenuis, filiformis.

§. 30. Therapia.

Haec complectitur duas partes, nimirum curam prophylacticam et curam therapeuticam. De cura prophylactica in sectione prima, de posteriori hic loci sermo erit.

Cura therapeutica sequentibus nititur indicationibus :

A. Indicatio causal is. Sed huicce indicationi satisfacere rarissime in medici potestate est, cum nimirum causae saepe a medico penitus ignorentur, aut eorum amotio extra artis limites sita sit, aut etsi removantur, effectus tamen, quem induxere, remaneat. Nihilominus per regimen adaequatum omnia saltem sunt arcenda, quae statum praesentem exasperare valerent.

Summa igitur aegro concedatur corporis et animi quies, situs corporis sit horizontalis, capite nonnihil elevato. Aër cubilis sit purus, frigidiusculus. Vestimenta incommoda, quae circulationem turbare, humorumque ad caput congestionem promovere valent, caute, sine corporis agitatione, exuantur. Instituantur ceterum ea omnia, quae ad therapiæ finem in tractatu generali adduximus. — Tempore aestatis ponantur in cubile vascula magna cum aqua frigida glaciali repleta, vel humectantur dormitoria cum aceto diluto, ut sic frigus artificiale generetur.

B. Indicatio morbi. Cerebrum ejusque integumenta, a nimio sanguinis impetu liberentur, nova congestio et phlogosis partium exsudati vicinarum impediatur, torrens sanguinis ad alias partes derivetur, resorptio sanguinis effusi, quantum id fieri potest, promoteatur. Hisce indicationibus sequentia correspondent indicata:

*a. Sanguinis depletiones universales et
Locales.*

Celsus ¹⁾ celsissimis verbis dicit: „Si omnia membra vehemente resoluta sunt, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix unquam sanitatem restituit; saepe mortem tantum differt; vitam interim infestat. Post sanguinis missionem, si non redit et motus et mens, nihil spei superest: sredit, sanitas quoque prospicitur.“ Sanguis itaque mittitur facto vulnere lato ex vena brachii lateris sani — quod cognoscimus, si noverimus, in quodvis latus homo, apoplexia corruptus, ceciderit, nam hoc ipsum paralyticum est — secundum circumstantias ad uncias xjj — xv. Serius, si ulterioris venaesectionis necessitas intercedit, praecipue ubi facies multum turget, rubet, livet, et ubi sanguinis a capite refluxus vestibus, praeprimis collaribus arctis impeditus fuerit, vena jugularis quoque secari potest; et quidem potius ex latere sano, quam jam commendat *Aretaeus* (de morbis acutis lib. I.). Juxta *Frank* non absolute necessaria esse videtur sectio venae jugularis in latero sano, cum vasa cerebralia communicent. Lubenter tamen abstineamus ab hac phlebotomia, quia pressio colli nociva sub operatione, difficulter evitanda, novam praebere potest ansam ad sanguinis a capite refluxum impediendum. Sic etiam vena occipitalis ob sanguinis contenti parcitatem nunc raro secatur. A sanguinis missione medicum pulsuum intermissio aut inaequalitas non deterreat, nisi alia signa adsint, quae virium vitalium defectum demonstrant. — Quantitas sanguinis mittendi major pro virium statu, pro aetate, constitutione, temperamento, genio epidemico et endemico, symptomatum vehementia

¹⁾ *A. C. Celsi*, de Medicina libri VIII. Biponti CIJCCLXXXVI.
pag. 183.

est determinanda. In genere autem prima venaesectio, ubi peculiaris aegri constitutio id non vetat, audaci instituatur manu, cruxque uno rivo profluat, donec manifesta symptomatum remissio intret. Si una venaesectione derivatio sanguinis impetrari non posset, post aliquot horas illa repetatur. *Aretaeus* de hac re dicit: „Si minus detraxeris, quam causa postulat, nihil magni per magnum auxilium conferes.“ Quo rigorosior interim prima sanguinis evacuatio fuit, eo rarius ejus iterandae necessitas intrabit. Quamdiu durities et tensio pulsus perstat, tamdiu reiteranda venit phlebotomia; sed vix valemus tamdiu reiterare secundum opinionem nonnullorum, donec conscientia et loquela redeat et ronchus imminuat. Venaesectiones institui et repeti debent, sed uti *Lieutaud*¹⁾ praecipit, ne athleticis quidem tantum sanguinis detrahendum, ut calor nativus solvendo morbo necessarius extinguitur.

In casibus, ubi in dubio haeremus, an venaesectio reiteranda nec ne, et praecipue pulsu per vanaesectionem parvo reddito, quin symptomata mitiora conspiciantur, confugimus ad evacuationes sanguinis locales. Hirudines ad tempora, retro aures, ad latera colli, ad occiput sint ponendae, quia ad haec loca emissoria cum sinibus cerebri communicantia animadvertuntur, praeterea bono cum successu adhibentur cucurbitae scarificatae, collo, nuchae, dorso adplicatae, sic quoque scarificationes sat profundae ad caput, capillis derassis. Hoc laudavit jam *Hippocrates* et *Aretaeus*, qui dicit: „Quum morbus diu trahitur et caput in causa est, cucurbitula occipiti affigenda est, et sanguis largiter hauriendus; plus enim quam venaesectio proficit et vires nequaquam labefactat.“ Non minores scarificationibus

¹⁾ Synops. univers. prax. med. Tom I. Pag. 477.

tribuit virtutes *Lusitanus*¹⁾, *Morgagnius* et *Meadius*²⁾.

Nonnulli arteriam temporalem secant, putantes, promptius cerebrum a sanguine liberari; experientia tamen docet, aegros per arteriotomiam nequaquam majus levamen, quam per phlebotomiam percepisse, et per arteriotomiam saepius aneurysmata inducta fuere.

Si post suppressam epistaxim nata esset apoplexia, ad utrumque nasi foramen hirudo ponatur, in haemorrhoidibus suppressis ad ani limbum, in menstruorum suppressione ad vulvae labia, faciem femorum internam; convenient quoque venaesectiones in pedibus institutae, in vena saphena magna.

Nonnulli sanguinis detractionem in phlegmaticis, melancholicis, senibus, pueris atque utero gerentibus vetant. — In genere, si individuum non bene pastum, senile, pulsus non plenus et fortis, facies non rubra, turgida, tum non nimis sanguinis detrahatur. Summopere hic convenient cucurbitae scarificatae et hirundines locis jam citatis applicitae.

b. Alviductiones efficax post venaesectionem auxilium exhibent, tum ut derivantes, tum ut incitatem localem levem, ad motum partium ciendum ulterius diffundentes. Hinc si *deglutilio superest*, quod irritationem faucium explorare poterit, danda sunt *eccopratica antiphlogistica*, ut lenis alvi fluxus cieatur. Praecipuam laudem meretur Calomela in dosibus majoribus propinata. Massam enim humorum imminuit, per frequentiores, quas inducit, alvi evacuationes, cerebrum per antagonisticam hepatis et tubi intestinalis irritatem liberat, sanguinis demum effusi resorptionem, virtute sua specifica promovet. Praeterea etiam alia eccoptica optimo cum successu exhibentur, uti: fructus

¹⁾ De med. Princip. histor. I. 1. histor. 33.

²⁾ Monit. et praecept. med. cap. 2.

tamarindorum; pulpa cassiae fistulae; tremor tartari in aqua vel in decoct. gramin., fructuum tamarind. etc. solutus; decoct. tamarind. cum largis nitri dosibus; solutiones salis amari, natri et kali sulfurici, krystallorum tartari; electuarium lenitivum; infusum sennae; aqua laxativa viennensis. Post alviductionem magnam praestant utilitatem *potus antiphlogistici*, *refrigerantes*, praeprimis indicatur succus citri, aqua copiosa dilutus, sacharatus; prosunt quoque acida vegetabilium quaecumque diluta aut aqua simplici aut decocto cuidam admixta, oxymel simplex, syrupus acetii, et similia, quae cuncta orgasmum humorum insigniter moderantur. Ubi cognitum, quod individuum pertinaci alvi obstructione laboret, *purgantia* quoque *drastica*, uti: oleum Crotonis, jalappa, gratiola, aloë, gummi gutta, scammonium etc., proficia sese saepe ostendunt. Ubi *facultas deglutiendi sublata* jam est, calomelis (10—15 grana), cum butyro recenti commixti, ad linguae radicem aegro ponatur, in nonnullis casibus his gran. 2—3 gummi guttae immisceantur; aut gutta 1 vel 2 olei crotonis cum pinguedine aliqua blanda, butyro vel oleo ricini misceatur, orique immitatur; unde mox diffluens in ventriculo defertur. Si autem haec non possilia tum remedia soluta eccoprotica per fistulam ori et oesophago immissam, ventriculo tradantur. (*Hufeland*).

Quum vero saepissime deglutitio ablata sit, tum *clysmata* exhibentur e decoctis solventibus, mucilaginous, cum aceto, sale culinari, sapone, oxymelle, infuso sennae, aqua laxativa viennensi (ad unc. tres); *Hufeland* recommendat clysteres cum aceto (3 — 4 unc.) et tart. stibiato (gr. quatuor). Enemata semper majori dosi applicantur et bene etiam cum sale Glau-beri, nitro, oxymelle scyllae acuuntur. Si ani sphincter resolutus, ita, ut clyisma non retineatur, tum alvus suppositoriis sollicitanda est, et si haec intestinum rectum sollicitari nequeunt, fumus nicotianae in anum insufflari

potest, cui vero decoctum foliorum dilatum praeferendum est.

In hoc morbo emetica a nonnullis valdopere laudantur. Jam Hippocrates (*περὶ νόσων* lib. III.) emetica suasit, cuius opinioni favebant quoque Aretaeus (de morb. acut. curat. L. I. C. 4.), Boerhavius, Stoll, Sydenham, Cullen, Quarin, Richter (specielle Therapie). Alii vero clari emetica exhibere vix audent atque eventus sinistri exempla commemorant. Huc *van Swieten et Tissot*, qui malum ab emetico assumto saepe auctum, imo saepius lethale factum refert. Hoc negare non valemus, quia quodlibet emeticum congestiones humorum versus caput valdopere adauget, et ideo statum apoplecticum periculosorem reddit. — Ubi autem ciborum ingurgitatio vel crapula apoplexiam induixerat, aut ubi constitutio annua morbis biliosis favet, ubi ructus, nausea, vomituritiones, lingua obducta, sclerotica flavescentia, facies corrugata et aeger regionem ventriculi inflatam frequenter manibus tangit, ubi predominante torpore et inertia universalis hemiplegia nulla adest, neque aliae contraindicationes, tum emeticum propinetur, praemissa tamen venaesectione; nisi enim cerebri plethorae occuratur, emeticum damnum infert. Cieatur itaque emesis irritatione faucium operculorum, aquae tepidae haustu, vel solutione tartari stibiati, sulfatis zinci. Si haec ad vomitum ciendum frustra exhibentur, tum ad regulum antimonii, ad ipsam fortiorem titillationem in gutture cum plumula, oleo tincta, recurrimus. — Adhibentur quoque emetica, sive alimenta venenata, venena, aut opium paulo ante sumta fuerint.

In genere post primam venaesectionem granulum tartari emetici in medicaminis plerumque purgantis exhibitione nunquam spernendum est; hoc enim commutatio corporis adducitur, specifico suo irritamento nauseante, quo nervos splanchnicos ferit, revulsionem a ce-

rebro producit; blandam sustinet humorum entericorum secretionem, et transpirationem cutaneam leniter promovet; praetera interne ea exhibenda remedia, quae diuunt, temperant et leniter resolvunt, uti: serum lactis, decoctum hordei diluti, infus. florum tiliae cum nitro aut oxymelle, acidum tartaricum, aliaque his affinia et superius adducta.

Sequentes formulae nobis quam maxime proficie esse videntur:

Rp. Rad. gram. consc. *Rp.* Dect. gramin. ex unc. una par.

Fruct. tamarind. enucl. ad colat. unc. octo.

aa unc. unam. adde

Coq. c. suf. q. aq. font. Aq. laxat. D. V. unc. duo.

per $\frac{1}{4}$ horae,

Colat. lib. unius Tart. emet. gran. duo.

adde

Tart. emet. gran. unum.

M. S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffel.

Rp. Tart. emet. gran. tria. *Rp.* Hordei crud. unc. unam.

solve in

Aq. comm. destill. unc. quat.

adde

Aq. laxat. D. V. unc. tres.

M. S. Auf viermal zu nehmen.

coq. c. suf. q. aq. fontis

ad crepaturam granor. usque,

Colat. libr. unius

adde

Nitri puri, drach. unam.

Oxymel. simpl. unc. semis.

M. S. Trank.

Celeb. *Hufeland*¹⁾ sequentia sub sequenti formula apoplexia detentis exhibuit:

Rp. Fol. senn. drach. jj.

Sal. mirab. Glauber. unc. j.

Ebull. c. Aq. font. q. s.

Colat. unc. vij. adde

Tart. emet. gr. ij.

Syrup. mann. unc. j.

M. S. Alle Stunden 1 — 2 Esslöffel.

Nota. Si post usum tartari emetici nausea continua nauseans, ructus et nonnunquam vomititiones supervenient, tum haec pro bono signo habenda, et proxima morbi solutio praedicanda.

C. Praeter haec frigoris externa *ad applicatio* remedium summi est momenti. Sanguinis depletionibus

¹⁾ C. W. *Hufeland*, Enchiridion medicum. Berlin, 1838. p. 338.

universalibus et localibus praemissis nullum datur remedium, quod tam efficax sit, ad fervorem vitalem in systemate nervoso moderandum, orgasmum cerebri compescendum, ulteriore sanguinis eongestionem praepediendam, quam externa frigoris applicatio. Commodissime adhibetur per vesicas glacie impletas, cui quidquam salis culinari additur; vel per linteamina aliquoties complicata, aqua frigida vel glaciali immersa, dein fortiter expressa; vel per fomenta *Schmukeriana* ex aceto, sale ammoniaco, nitro et aqua conflata, crano — abrasio capillis — imposita. Summam vero efficaciam psychrolusiae eximii *Currie* exserunt; calor quippe citra normam extricatus innovata semper frigoris actione avidius absorbetur; aquae simul ex alto cadentes non solum calorem citissime destrahunt, sed etiam in cerebrum concutiendum pressione et gravitate magnopere agunt, quarum priorem virtutem instillationes capitis cum naphthis haud parum exaltant. Ut tamen eorum virtus efficax sit, absit omnis status phlogisticus, et congestio activa versus enkephalon; quum vero haec semper in primis diebus post insultum adsint, hinc affusiones frigidae potius ad ulterius morbi stadium reservandae, praecipue quia ab initio institutae coecitatem, hemiplegiam et immedicabiles paralyses saepe causare valeant.

d) Ut aeger ad se redeat, revellentia et excitantia applicentur; — praestantissime a capite revellunt: pediluvia calida cum cinere, aceto, aut sapone; frictiones partium a capite rematarum, praesertim pedum; epispastica et vesicantia, quorum virtus duplex, sympathica et antagonistica, deprehenditur eo, quod sistema nervorum periphericum irritando, similem irritationem in systemate producant centrali, hoc ad magis energicam activitatem extimulantia; — tum quod derivationis causa applicata, organa centralia a nimia stimuli exorbitantia, humorum adfluxum versus

corporis periphericos limites invitantia, liberent; idcirco satis magno intervallo a parte affecta, uti cervici, pectori, brachiis, parti femorum internae, suris aut plantis pedum adponuntur. Sinapismi aut soli, aut cum tinctura cantharidum, ut fortius agant, commixti, exhibeantur, et ut eorum virtus adhuc magis corroboretur, pars, cui adplicantur, cum lana in aceto tepido tincto, usque ad levem rubedinem teratur. — Nonnulli plagas corporis singulas aqua ebulliente irrigant, guttulae cerae hispanicae carentis pectore adplicant, vel plantas pedum aut volas manuum acubus pungunt et inde ad cauterium potentiale confugunt. — Vesicantia in hac apoplexiae specie minus commendantur, quia praeter alia mala, sec. observationes *Baglivii* et *Trallesii*, vesicantia sanguinem versus caput urgeant, excretionem urinae reddant parciorem, difficiliorem, stranguriam; alvum efficiant segnem atque morosam, subinde et urinas et alvum cruentam, saepissimeque terminosam. In illis casibus, ubi status activus, congestiones versus cerebrum, ubi adest hemiplegia, tum vesicantia, capiti et nuchae adposita, summum adferunt damnum; si vesicantia adhibenda sunt, tum semper humorum orgasmo imminuto, locis adplicantur a capite remotis, uti suris, internae femorum faciei, plantis pedum.

Praesertim autem usus epispasticorum est commendandus, ubi retropulsio affectionis cujusdam periphericae insultui subest apoplectico. Sub *arthritide* retrograda, si status activus, plethora, ordinantur venae-sectiones modicae, purgantia et externe remedia irritantia, sinapismi, rubefacientia, ex fermento panis, farina seminum sinapis, armoracea, sale et aceto etc., articulis, et *impetigine*, praecocius sanato, loco, quem tenuit, adplicantur. Si sub *arthritide* retrograda status passivus, si languida humorum circulatio, pallida facies, pulsusque mollior, tum vesicantia partibus adfec-

tis applicata, et interne camphora, moschus, enula, sulphur, antimonium optime exhibentur. — Si *rheumatismus* male tractatus apoplexiae causa fuit, tum quoque irritantia, rubefacientia articulis, quos obsidebat, et interne purgantia, praeparata colchici in connubio cum natro et parvis dosibus camphorae summopere conveniunt. Mercurius dulcis nunquam in rheumatismo pigro obliviscendus, et praesertim ante colchicum exhibendus, quia sordes gastricas aufert, et secretionem bilis promovet.

Si insultus apoplecticus ex *phlogosi* cujusdam organi capitis, quae usque ad cerebrum sese extendebat, et hoc in compassionem duxit, enatus, tum haec et insultus apoplecticus methodo antiphlogistica et ceteris regulis, phlogosim sedantibus, auferentibus, tractanda veniunt.

Si accessus apoplecticus ex *erysipelate* capitis et faciei, tum profundae incisiones in occiput, ita, ut effluvium sanguinis largum contingat, porro cucurbitae scarificatae in nucham, et purgantia ex mercurio dulci et tartaro stibiato, aut cum extracto colocynthidis combinata, summopere conveniunt; sic quoque potiones salinae cum vino stibiato.

Exanthemate evanescente, et inde enato insultu apoplectico, hic auferendus et illud restituendum atque ad pristinam in cute revocandam sedem. Quare, ut id certius impetretur, secundum Clar. Nob. de Raimann¹⁾ in priorem mali sedem et in cutem universam directe simul agatur remedii pro rerum positione mox emollientibus et lenissime incitantibus, mox plus minusve irritantibus, phlogosin, secretionem morbosam singulis in plagis inducentibus, qualia sunt: fomenta, catalplasmata, lotiones, balnea topica et universalia jam

¹⁾ J. N. Nob. de Raimann, *Principia Pathologiae et Therapiae specialis medicae*. Viena, 1835. T. I. pag. 498.

simplicia tepida, blanda, jam varie composita et incitantia, irritantia; frictiones, cucurbitae siccae et searificatae; sinapismi, vesicantia; unguent. e tartaro emetico; cortex mezerei, fonticuli; in nonnullis casibus, si e. g. praegresso refrigerio repente exanthema suppressum et insultus repente intravit, acetum radicale, ipsa moxa, et cauterium actuale. — *Chronicis in eruptionibus* artificialis plurimum saepe prodest, suppressae analoga, per unguentum stibiatum, tincturam cantharidum et s. invitata; aliquoties autem pristina renovata, v. gr. per insitionem scabiei etc. absolute requiri videtur, ubi nimirum suppressa fuerat specifica, contagiosa, et ubi suppressionis effectus generali therapiae, nunc indigitatae, pertinacissime renituntur.

Apoplexia intrans sub *partu*, sub *epilepticis* et *hystericis spasmis* fortes sanguinis detractiones, praecipue venaesectiones in pedibus, superfusiones capitis cum aqua frigida, enemata emollientia, evacuantia etc. exposcit.

Si insultus apoplecticus tempore *invasionis* vel in *alio febrium stadio* intrat, tum cura a regulis, supra statutis, generalibus, non multum discrepat. Sanguinis depletiones tum topicae tum universales, psychrolusiae, et interne purgantia, salina, et revellentia bene conducunt. Sed etiam hic pulsatio carotidum, calor capitidis bene explorandus, antequam certa therapia instituatur; nam si caput frigidum, actio carotidum normalis aut tardior normali, et si accessus non cum paralysi comitatus, tum remedia restaurantia necessaria, etiamsi reactio serius intrans methodum anti-phlogisticam rigorosam exposcit. Intrat insultus in ultimis *febrium continuarum* vel *exanthematicarum* statiis, tum fere semper character *asthenicus* adest, cui optime topicae sanguinis detractiones in occipite, aribus retro, in nucha; purgantia fortiora; revulsoria et revellentia externe; et interne camphora cum ammonia,

aetheres et liquor ammonii acetici, infusiones arnicae, serpentariae et. s. p. convenient.

Quandoque apoplexiae *tussis* accedit, cum sibillo et difficiili materiae crassae ac pituitosae excretione, suffocationem minitante, tum vero incidentibus et expectorantibus opus est, ut kermes minerali, mixtura ex gummi ammoniaco, extracto enulae et oxymelle scillitico, sed saepe malum, quod paralysi nervorum in pectore ortum debet, non levatur.

Vomitus sub apoplexia sponte aut v. gr. per clysmata ex tartaro emetico exortus, licet nonnunquam per hunc ingesta copiosa et saburra eliminantur, non raro valde noxious, et ne congestiones versus caput adaugeantur, statim sedandus per pulveres aërophoros, simplices aut pulv. aëroph. *Hufelandi*, *Vogleri*, potionem *Riveri*, motusque intestinalium peristalticus et per hanc contentorum evacuatio, per clysmata irritantia promovenda, et per talia remedia, quae in tractum intestinalis purganti modo agunt, uti: sal Seignethi, Glauberi, arcana duplicatum, jalappa, senna etc.

Errhina, sternutamenta et volatilia acria in hac apoplexiae specie non adhibentur, quia humores exagitant et nimium motum cient. Si quid naribus admoveri liceat, esto id acetum vini, oleum succini, ejus sal volatile, vel spiritus melissae, rosmarini, quibus et lingua et os, et torpentia membra perficari poterunt. — Concussiones variae, quae vulgus adhibere amat, valde nocent, hinc interdicenda.

Diaeta ab initio morbi summopere sit restricta; aeger quiete decumbat in lecto, stragulis levibus tectus, in cubili spatio aëre puro gaudens, moderate temperato et obscurato; hominum congressus ad aegrum arceatur.

Per remedia nunc enumerata, et regimine diaeteticō descripto processus quoque resorptionis et reparationis fovetur et sustentatur, quem in scopum usus

quoque chlorinae liquidae multum laudatur; quippe quae relaxationem finium vasorum cerebralium tollere, turgorem vitalem in encephalo compresso restituere, resorptionemque humoris effusi promovere dicitur. Semper tamen ad excretiones viscerum abdominalium attendendum, et hae, praecipue hepatis, imprimis aestate et auctumno promovendae. Hinc regio hepatis et epigastrii exploranda, si plena, si tensio adest, tum his regionibus cucurbitae scarificatae adplicitae et interne mercurius dulcis (*Dolaers, Schurig et Horn*) in parvis dosibus cum praeparato aliquo antimoniali conjunctus, summopere convenient; absint tamen nausea et ructus.

Si sub continuo horum remediorum usu aegri ad se redeunt, et sensus recuperantur, ad illa auxilia confugiendum est, quae nervos grate feriunt: moderata dosis camphorae cum nitro hic locum habet. Male faciunt, qui, a languore decepti, cardiaca statim adhibent, quia diathesis phlogistica facile recrudescens, recidivam accerset. Reconvalescentibus convenient, quae sistema nervorum leniter mulciunt et roborant, uti: decoctum hordei, oryza, salep, grana sago, gelatina animalis, lac, chiocolada ex lichene, ex faba cacao, balnea emollientia.

Si aegri ad se non redeant et per plures dies soporosi jaceant, cura antiphlogistica continuanda, donec functionum ad normam reductio contingeret; si vero hoc non fit, imo *status adynamicus*, quod ex tardo pulsu carotidum, transpiratione cutanea imminuta vel suppressa, calore capitis imminuto, debilitate summa etc. cognoscimus, evolveretur, tunc remedia excitantia, restaurantia in usum essent vocanda. Inter varia hujus generis remedia flores arnicae magnis laudibus extolluntur. Conveniunt quoque, prouti in casu speciali indicata, alia quoque excitantia, uti: angelica, camphora, valeriana, serpentaria, moschus, ammonia-

calia. Semper tamen aeger bene examinandus, ne fors ex remedio provocatur sanguinis congestio versus cerebrum statusque pejor inducatur.

Post quemvis novum insultum aeger strictam diaetam observare debet, abstineat ab omni victu nimis condito, a spirituosis, potu arabico, pulvere ac fumo nicotianae, evitet omnem intentionem tum animi, tum corporis, omnia animi pathemata, omnesque causas, quae humorum fortiorum ad enkephalon congestionem provoca valeant. Alvus semper lubrica servatur per eccoprotica, enemata, emollientia, evacuantia; vere et autumno instituantur sanguinis detractiones tum locales tum universales; fonticuli aut setaceum applicatur nuchae; victus vegetabilis, aqua pro potu; situs semierectus sub somno, torus ex pelle et crinibus confectus, sunt momenta praecipua ad futurum accessum praevertendum. Qui apoplectici fuere, evitent frigus, praecipue, si inde stupor capitis, palpitatio cordis observetur; ex subitanea pedum refrigeratione apoplexiam ortam fuisse constat. Hinc glabronibus capillitium portandum est (*Quarin*).

Morbo tandem feliciter fugato, magna tamen in recidivas, uti monuimus, proclivitas remanet, quae omnem medici adtentionem sibi exposcit. Regulae, quae sub prophylactica cura et superius assignavimus, summa cum diligentia atque perseverantia observatae, insultum ulteriore praevertere vitamque sanam valent conservare. Valeat hoc respectu, quae *Hippocrates* alio loco pulcherrime et distinete pronuntiat: „Si curatus et sanus factus non se ipsum custodierit, plerisque revertens morbus interritus causa fuit.“

Mala postuma, quae hunc morbum excipiunt, juxta regulas therapeuticas, ipsis proficia, tractanda veniunt.

CAPUT II.

B. DE APOPLEXIA SEROSA.

§. 31. Synonyma.

Apoplexia frigida, **phlegmatica**, **pituitosa**, **torpida**, **lymphatica**, **fluxio frigida**, **hydroenkephalorrhoea** (*Piorry*), **seröser Schleim-**, **lymphatischer Schlagfluss**; **nomen desumit vel a sero**, **sive aqua vasa cerebri opplente**, **aut superficiem aut cava ejus inundante**.

Apoplexia serosa est sopor morbosus ex humorum extravasato aut congestione passiva ad organa capitis, adfectioni sanguineae e diametro opposita, ex nimirum reactione vasorum capillarium, ex earum laxitate et inertia, aut ex humoribus ipsis tardis, viscidis, motu intrinseco destitutis, prosiliens; serum ex ostiolis vasorum lymphaticorum flaccidis in cerebri ventriculos aut in ejus superficiem effunditur. De hac apoplexia celeb. *Jahn*¹⁾, commentator scriptorum magni *Sydenhami*, dicit: „Eine Form der Apoplexie, die bei alten, wohlbeleibten Personen vorkommt, entsteht davon, dass die Rinde des Gehirns mit vielem Schleim vollgepfropft ist, wodurch die Wege und Bahnen der Lebensgeister verschlossen werden.“

§. 32. Diagnosis.

Signa prodroma sunt: somnolentia, vertigo frequenter praegressa praesertim pomeridiana et nocturna, oculi pallidi, visus obfuscatio, dedolatio, hebetudo sensuum, balbuties, cutis pallida et frigida, pigritia ad motum exercendum, pulsus inaequales, intermitten-

¹⁾ *Ferd. Jahn, Sydenham*, ein Beitrag zur wissenschaftlichen Medizin. Eisenach, 1840. Pag. 134.

tes, urina copiosa, turbida, quandoque mucus, pituitosus humor ex ore et naribus stillans.

Sub insultu, qui non tam subito accedit, uti in sanguinea, adest: turgor faciei pallidus, facies pastacea, leucophlegmatica, oedematosa, oculi collapsi, visus languidus, pupilla nec contracta, nec dilatata, calor totius corporis imminutus, pulsus tardior, naturali debilior, plenus, non suppressus, mollis, inaequalis, saepe intermittens, intra minutum 40 tantum ictus praebens, in individuo cachectico, phlegmatico, aetatis plerumque proiectioris, respiratio magis impedita, sterter et sibillus major, membrorum flacciditas et frequens venarum collapsus. Sub hac apoplexiae specie aegri non illico vocis et linguae usu privantur, oculi atque os saepe aperitur, profluitque ex iis magna lymphae copia. — Dantur casus, in quibus phaenomena apoplexiam sanguineam mentiuntur, praecipue si causae egerint, quae majores congestiones sollicitarunt versus encephalon. — Hinc subjectum nosse optimum justae diagnosis adminiculum.

§. 33. Differentiae apoplexiae serosae a sanguinea.

Apoplexia serosa differt a sanguinea non solum anatomica, sed etiam pathologica ratione. Exsudatum serosum rarissime cito exoritur et nunquam cum paralysi conjunctum. Semper se manifestat per eminentes et regulariter intrantes paroxysmos febriles, etiamque per eminentem et regularem statum comatosum, ita, ut morbum facile pro febri perniciosa haberemus. Status comatosus in apoplexia serosa est symptomata characteristicum. In hac per aliquot dies ante insultum adscatur somnolentia, apathia, hebetudo, serius intrat coma et sensilitatis et motus debilitas in omnibus corporis partibus, sed nulla paralysis. Ideo *Serres* serosam apoplexiam in classem apoplexiarum meningum, seu in classem apoplexiarum sine paralysi posuit. In apople-

xia sanguinea adest ruptura unius aut plurium vasorum, dilaceratio substantiae cerebri; paralysis et in specie hemiplegia haemorrhoeae cerebri est constans symptoma.

Apoplexiam serosam distingui a sanguinea posse, **Tissot** putat, quod in illa liberior sit respiratio, frequens vero vomitus.

§. 34. Terminations.

De exitu apoplexiae serosae fere ea omnia valent, quae in genere et sub apoplexia sanguinea adduximus, quia simili modo ac sanguinea in sanitatem abit, si organa pressa ab humoribus eliberentur; — in alios morbos, uti: in amentiam, functionum sensuum inter et externorum imbecillitatem, motus debilitatem et in mortem, si revulsio penitus non succedit. In genere rarius sanitas intrat, quoniam non adest semper leve exsudatum, sed frequentissime serum, lympha magna in quantitate accumulata.

§. 35. Complications.

Apoplexia serosa cum sanguinea non raro invicem conjuncta incedit, ubi dein symptomata utriusque morbo propria complicata inveniuntur, quae tamen nonnisi causis excitantibus differunt. Sub hac complicatione summa adtentio in curam dirigenda est, ut statim juvantibus insistamus, et illico abstineamus a nocentibus. Complications cum aliis morbis jam in tractatu generali exposuimus.

§. 36. Aetiology.

Dispositio in hunc morbum non raro ex haereditate acquisita, nulli aetati, nulli sexui parcit; exitialis hicce morbus foeminas, viros, infantes aequem ac seniores invadit, frequentius tamen phlegmaticos, frigidos, laxos,

pastosos, morbis pituitosis obnoxios, cachecticos, aetatem senilem, post causas humoris serosi copiam augentes, imprimis si quoad conformatiōnem capitīs, colli et thoraci habitū apoplectico insigniuntur. Disponit quoque in hanc apoplexiā temperamentū frigidū, quod cognoscitur carne molliori, flaccida; fluido universim praevalente; tarditate in functionib; viribus animalib; modicis; animi affectu minus vehementi; spiritu tardo; oculo languido, pulsū debiliori, cute molli, decolorato, tenui pilo.

Ad causas disponentes numerandae praecipue obstructiones viscerum abdominalium, uti: hepatis, lienis, glandularum meseraicarum; vermes in infantibus; omnes morbi impetiginosi, exanthematici; tussis convulsiva; febris nervosa; omnia venena narcotica, stupefacentia, uti: opium, belladonna etc.; nimia mentis intentio, saepius repetita animi pathemata. Omnia illa momenta, quae contribuunt, ut sanguis tenuitatis aquosae, aut spissitudinis mucosae vitia gerat.

Momentis procatarticis apoplexiāe seruae accensentur: Vita otiosa, sedentaria; somnus praecipue pleno ventriculo protractus; animi indifferentia; hydrops cerebri adulorum, hydrocephalus infantum; morbi pectoris, peripneumonia spuria, asthma, compressio vasorum colli. Frequentius concitant hunc morbum nutrimenta farinacea, glutinosa, aquosa; humorū nobilium jactura, praecipue seminis; quae omnia circuli sanguinis turbas, languorem partium solidarum, humorū autem stagnationem gignunt. Ad causas excitantes pertinet adhuc tempus pluviosum, frigidū, aequinoctium, hiems pluviosus, frigus, sudante corpore aut capite admissum, atmosphaera frigido-humida. — Haec species enascitur frequentissime post exanthesma suppressa, uti: morbillos, scarlatinam, variolas; post impetigines male tractatas; post ulcera cito exsiccata.

§. 37. Prognosis.

Ad certam edicendam prognosim causae excitantes, gradus et complicationes, nec non aliae quae-dam circumstantiae conferunt. In genere hujus morbi prognosis semper tristis et longe infensor est vitae ac sanguinea, nam in hac aliquas naturae vires supponimus, quae in apoplexia serosa prorsus deficiunt. Si causae excitantes leniter egerunt, si magis dynamico quam chemico aut mechanico modo enkephalon laedunt, si morbus gradum altum non adtigerit, si complicationes nullae, individuum non pastosum, laxum, frigidum, tum prognosis laetior facienda, si contraria eveniunt, tum prognosis semper tristis erit. In prognosi apoplexiae serosae semper hoc cum certitudine edicere valemus, quod apoplexiae serosae convalescentia semper longius tempus durabit, quam in sanguinea, quae non-nunquam valde cito uno ictu hominem necat. — Si impetigo aut exanthemata suppressa aut male tractata, si febris nervosa, habitus depravatus, helminthiasis, discrasia humorum, et summa debilitas adest, tum prognosis anceps facienda.

§. 38. Therapia.

Haec duplex, prophylactica et therapeutica.

De priori jam in generali tractatu loquuti sumus, hic nonnulla adhuc adjungere liceat, quod homines ad hoc malum dispositi, ad praepediendam morbi evolutionem omnia momenta evitare debent, quae hanc excitant atque graviorem reddunt. Diaeta stricta semper observanda, cibi sint vegetabiles cum animalibus commixti, eupepti, potus acidiusculus; evitentur omnia spirituosa, aromatica; perspiratio cutis nunquam supprimatur, et obstructiones viscerum abdominalium tollantur per solventia, eccoprotica, emollientia et deri-

vantia. Nutrimenta copiosa, farinacea, glutinosa et aquosa interdicenda. Corpus assuefaciendum est temperaturae cuique preferendae. — Haemorrhoidum, menstruorum fluxus suppressus, exanthemata et impetigines repercussae revocantur juxta regulas, quae superius adduximus. — Vermes in fistula cibaria enati atque hospitantes necandi aut expellendi sunt, simul vero processus reproductionis emendandus est. — Si vero causa ignota in organismum ita egerit, ut prodroma apoplexiae serosae in conspectum veniant, et ipse accessus apoplecticus extimescendus sit, tum methodus antiphlogistica cum derivanti et diuretica in connubio in usum trahenda; summe proficia erunt sanguinis locales depletiones, eccoprotica leniora et fortiora, imprimis mercurius dulcis, medicamina refrigerantia cum vel sine nitro, emulsiones tenues, emollientia.

Si vero insultus apoplecticus contigit, tum cura therapeutica secundum diversam causam instituenda erit.

Finis hujus curae in eo consistit, ut pristinus functionum status in cerebro restituatur — communicatio inter fines et cerebrum — removeatur itaque congestio, stagnatio et extravasatio humorum, quae hanc communicationem turbant. Circulus humorum ergo liberior reddendus, absorptio promovenda, ut enkephalon a mole nimia humorum liberetur; hinc semper respectu habito causae proximae, aut activitas vasorum capillarium intendatur (ubi nimirum laxitas vasorum capillarium in causa est), aut, quod plerumque intercedit, reactio vasorum capillarium nimis adaucta imminuatur, ita, ut primae indicationi correspondeant omnia remedia absorbentia, quae vasorum lymphaticorum intendunt activitatem, et alteri indicationi: remedia stimulantia, leniter excitantia aut deprimentia, uti detracatio sanguinis, quatenus status congestivus saepe est effectus, licet non causa. Si autem apoplexia serosa

aliquid de sanguinea participit, si habitus apoplecticus, morbus celeriter increscens, si manifesta plethorae symptomata adsunt, tum eo magis phlebotomia ad uncias sex vel octo (prouti casus exposcit) necessaria. Venaesectio raro repetatur, ejusque loco majori cum utilitate regioni supraorbitali, temporali et processui mastoideo hirudines applicantur. — Aeger quietus decumbat in lecto, planum leviter inclinatum formante, ita, ut caput parum altius locatum sit; temperatura cubiculi sit moderata, aër purus. Nunc derivationem, revulsionem, resorptionem humorum molimur, quibus nervos et alias partes solidas ad oscillationes vividiores sollicitare studemus. Multum hunc in finem praestant, si aegri deglutiunt emetica, uti: tartarus stibiatus, sulfas zinci, cupri, ipecacuanha, praecipue praesente torpore et inertia universalis, pituitoso pulmonum et ventriculi statu, aut praesentibus in ventriculi sordibus, nam sub illis omnes promoventur secretiones; praeterea purgantia fortiora, adliendo uberiorem humorum serosorum ad tubum intestinalem affluxum, eoque congestiones seri in capite minuendo, uti: calomel, dosi purgante, radix jalappae, folia sennae, aloë, colocynthis, radix hellebori, scammonium, gummi gutta, oleum Crotonis gtt. j. in emulsione vel cum lacte. Nec omitenda sunt, praecipue, si aeger deglutire non valet, enemata acria, imo aliquando acerrima, non tantum ad alvum evacuandam, quam ad irritandam adhibita, uti: ex fumo vel infuso nicotianae; solutione tartari emetici; solutione salis amari, vel ex decocto emollienti, cui additur gutt. j—ij olei Crotonis.

Quum ab initio semper activa humorum congestio morbum sustentat, haec praeter topicas sanguinis detractiones compescenda erit, per frigoris applicationem externam; tegatur itaque cranium linteo composito, oxycrate, aqua frigida, nivibus aut glacie imbuta.

Scopo revellenti superficiei externae varia irritamenta valdopere convenient, uti: vesicantia et sinapismi pedum plantis, suris, internae femorum faciei, nuchae, aliisque partibus appliciti, eosque relicti, donec effectum exseruerint proprium. Frictiones seu siccae extremitatum inferiorum cum pannis laneis, seu aromaticae, spirituosa, illinitio tincturae cantharidum, spiritus camphorati, saponati; pediluvia ex tepida aqua cum farina seminum sinapis, cum sale aut cineribus, derivationem humorum a capite inferiora versus multum adjuvent.

Nonnulli sibi laudant odora mента fortiora, quia nervos reficiunt et reactiones in vasis inducere valent, uti: acetum forte vel aromaticum, spiritum salis ammoniaci causticum, spiritum C. C. aut simplicem aut succinatum, imo sternutamenta, v. gr.: mercurium dulcem, saccharum, pulverem radicis valerianae, tabaci, hellebori, florum convallariae majalis, herbae majoranae etc.

Post emeticorum et purgantium usum sexta, septima die morbi bene adhibentur: infusa serpentariae, valerianae sylvestris, decoct. gramin. cum spiritu nitri dulcis, digitalis purpurea, ononis spinosa, praeparata sambucina. Opium a multis laudatum non exhibendum, quia, etiamsi in omne sistema stimulando agit, tamen et cerebrum ejus vi expositum, quare sopor non immerito extimescendus. — Celeb. *Plenk* suadet, ut interne unum alterumve granum calomelis exhibeat; brachiis drachma semis unguenti hydrargyri cinerei inungatur, caput aceto scillitico abluatur.

Magnum influxum exserunt, praeter diaetam, quae ad juscula carnium tenuia, fructus horreos, potus aquosos cum acidis vegetabilibus commixtos, restricta, sub morbi decursu remedia metasyncritica: tartarus emeticus, refracta dosi, ipecacuanha, pulveres *Doweri*, dein hydrargyracea, inter quae calomel eximum sistit

medicamen, fere specificum, ad humorum resorptionem et motum per vasa lymphatica et capillaria intendendum, atque per stimulum antagonisticum, excedentem actionem cerebri compescendum. — Inducta reconvalescentia victus sit eupeptus, modice excitans, pro potu addatur nonnunquam aquae modica vini quantitas; praeterea infusa et decocta florum, herbarum et radicum emollientium, emulsiones cum vel sine nitro, solventia, diuretica magna cum utilitate adhuc per longius tempus exhibentur. Sanitate penitus restituta, aeger monendus, ut causas omnes excitantes evitet et strictam diaetam servet.

Si vero apoplexia serosa cum sanguinea conjuncta, tum potulenta sint refrigerantia, mucilaginosa, aquosa, cum acidis vegetabilibus, uti: syrupo rubi idei, aceto vini genuino, succo citri cum saccharo aut syrupo combinatis. Cibi sint juscule tenuissima ex oryza, cremore hordei, fructibus horreis coctis. Interne emetica, stimulantia, irritantia non conveniunt; magis remedia emollientia, antiphlogistica, derivantia, antagonistice agentia, et ea omnia auxilia, quae sub apoplexia sanguinea adduximus.

CAPUT III.

C. DE APOPLEXIA NERVOSEA.

§. 39. Synonyma.

Apoplexia sine materia sive immaterialis, nervina, spasmodica, erethistica, asthenica, seu a viribus exhaustis, vel convulsiva, aut debilium nuncupatur eo, quia sectiones cadaverum, uti in tractatu generali exposuimus, nil ostendant; a multis apoplexia hypochondriacorum et hysteriarum dicta, ea ratione, quod spasmhi hi abdominales constringendo viscera abdomi-

nalia in illis humorum circulationem impediunt, hinc humores per haec viscera fluere impotentes in partibus superioribus adcumulati premunt enkephalon et ita apoplexiam producunt. Germanis vocatur: Nervenschlagfluss, Lähmung des Gehirns, schlagflussähnliches Hirnleiden.

Apoplexia nervosa debilitatem, exhaustionem vitae animalis ex morbis praegressis superstitem, vel alios systematis nervosi affectus, quibus efficacia cerebralis prosternitur, supponit. Sub hac specie deest omnis impetus humorum versus enkephalon.

§. 40. Diagnosis.

Prodromis haec apoplexiae species rarius sese adnuntiat, quibus accensendi sunt: tremores, convulsiones artuum; faucium, cordis, ventriculi, sphincteris vesicae etc. spasmi; sensuum externorum debilitas; vertigo tenebricosa; oculorum caligo, distorsio, pupillae coarctatio, non raro paralysis unius vel alterius palpebrae; labiorum tremor; dentium stridor; masticatio continua; loquela tarda, balbutiens, non raro interrupta, vox debilis; dysphagia; vomitus non raro convulsivus; lypothymiae; mictus difficilis; alvi stypsis; somnus interruptus; functionum nervosaram torpor, affectiones hystericae atque hypochondriacae graviores, diurnioresque; frigus et artuum gravitas, delassatio et debilitas magna; dolores sensusque tensionis in cervice, coxis et extremitatibus; sensus stuporis, formicationis aut puncturarum in una alterave corporis parte, praesertim in extremitatibus, saepius adest harum transitoria rigiditas.

Ipsa si intravit apoplexia, intrat absque signis congestionem ad caput designantibus, aut repente cum tremoribus et repentina capitis oculorumque retorsione, aut cum convulsionibus universalibus vel topicis, non

raro cum kephalaea gravi, dolore vehementer in uno loco capitis et cardiopalmo conjunctis; repente tum intrat coma profundum, loquacae et motus voluntarii abolitio, cutis pallescit, collapsa, rugosa, arida, extremitates algent, et aeger soporose decumbit, facies pallida, semper in unum latus distorta, collapsa, frigida, misera, turgore vitali orbata, hippocratica; palpebrae clausae sunt vel spasio contractae, oculi demersi, turbidi, languidi, vel quasi vitrei, distorti, pupilla contracta, nasus acuminatus; labia tremula, os saepe distractum, lingua sicca et si porrigatur, semper oblique directa invenitur; respiratio brevis, intercepta, quandoque placida, deest stertor et ronchus; aegri non tam profundo somno obruuntur, ut in praegressis speciebus; non raro convulsiones insequuntur extremitatum, quae tamen mox remittunt; non raro tamen perdurant; si sopor quidquam remittit, lucta exoritur inter symptomata convulsiva et soporosa, quae communiter morte finit; non raro adest extremitatum paralysis; frequenter tamen adest paralysis unius cum convolutionibus alterius lateris conjuncta, et aeger frequentissime in latere paralytico decumbit; saepe, quod etiam nos observavimus, adest paralysis in uno corporis latere et in altero latere extremitatum rigiditas, duritiesque fere eburnea; etiam hoc observavimus, quod sola extremitas superior dextra et inferior sinistra paralysi affecta fuit, et vice versa; non raro una tantum extremitas paralytica, nonnunquam paralysis est universalis; pulsus sunt debiles, parvi, vix tangendi, admodum inaequales, nec non intermittentes; urinarum alvique cessus involuntarius. Serius post horam unam alterante corpus universum friget, non raro uti et facies sudore frigido madidum. Subjectum ipsum apoplexia nervosa correptum est sensibile, non plethoricum. — Paralyses, si fideles comites apoplexiae sanguineae fere semper observantur, in apoplexia nervosa nunquam de-

sunt, et tantum quoad gradum variant. Sic observantur individua, quae nil manibus firmiter tenere valent, et si quid retinere volunt, statim manu emittunt, hoc est gradus minimus paralyseos, qui usque ad plenariam motus voluntarii abolitionem adscendere potest.

Decursus morbi valde rapidus, mors aut sanitas post paucas horas aut dies sequi solet; saepe autem morbus transit in alios morbos. Insultus apoplecticus communiter breve tempus durat. Post insultum apoplepticum, si non statim necat, aeger ex sopore cum deliriis expergefit, remittentibus convulsionibus, facie distorta, conscientia imminuta, loquela balbutiente vel abolita et paralysi totius corporis, quae mox remittit et ad unum tantum latus corporis vel ad singulas partes restringitur. Communiter secunda vel tertia die febricula (reactio universalis ad morbum solvendum) intrat.

§. 41. Differentiae apoplexiae nervosae ab aliis morbis.

Ab apoplexia sanguinea nervosa eo differt: quod in sanguinea pupilla dilatata, in nervosa contracta; in hac convulsiones vehementiores, gravioresque, in illa mitiores; in sanguinea multo citius conscientia, etsi non perfecte, redit, quam in nervosa, post quam deliria semper intrant et continuant. Sub apoplexia sanguinea post insultum statim paralysis imperfecta intrat et pedetentim in perfectam et graviorem transit; sub apoplexia nervosa immediate post insultum paralysis intrans est gravissima et vehementissima, tractu tamen temporis decrescit; tandem conscientia, vis cogitandi post apoplexiā sanguineam multo minus perturbata, quam post apoplexiā nervosam.

Ab insultu epileptico apoplexiā nervosam sub accessu nil distinguit, quam, quod sub convulsionibus nec minima vestigia motus ex consilio (voluntate)

facti animadvertuntur; quod hae in uno latere vehementiores sunt, quam in altero, et quod facies statim oblique distenditur et ita remanet (*Neumann*).

§. 42. Terminations.

Exodus in sanitatem inter rarissima spectat exempla, et fere tum tantum contingit, ubi vis nervea systematis centralis non ad imum relapsa fuerit, et ars mature opem tulit. Symptomata paralyseos aut statim disparent aut sub convalescentia; aut sanitas pedentim intrat, symptomata paralysis post menses, non raro post annum, disparent. Non raro insultus praeterit vehementer aut valde tarde, ast paralysis muscularum remanet, et saepe tamdiu, donec vel novus insultus aut alias morbus aegrum de medio tollit. Exodus in alios morbos, praecipue in nevroses, frequentius observatur; ad quas paraplegia, hemiplegia, amaurosis, cophosis, vertigo, locales paralyses praecipue referendae sunt. Talis exodus semper ominosus, nam saepe novus lethalis insultus scenam claudit. — Mors frequentissime obvenit, ubi non solum homo repente uno quasi ictu a vera virium debilitate prosternitur et enecatur, in quo vis centralis, quasi flamma ardens, uno flatu extinguitur et nil facere valemus, sed etiam, si flammula vitae aliqua post accessum superstes remanserit, post omnium rerum adhibitionem, quae huic morbo opponere solemus.

§. 43. Complications.

Apoplexia nervosa non solum pura obvenire potest, sed frequentissime cum apoplexia sanguinea et serosa complicata incedit. Licet hoc ad cognoscendum non semper facile, tamen ex praegressa causa, quae ad causas apoplexiae nervosae remotas pertinere debet, ex modo insultus apoplectici ingressus, ex terminatione aliquaque circumstantiis ad hujus praesentiam concludere pos-

sumus. Dein omnis apoplexia semper nervosa est dicenda, nam in apoplexia sanguinea et serosa vires systematis centralis supprimuntur et extinguntur per nimiam humorum molem, in apoplexia autem nervosa adest debilitas vera systematis nervosi, exhaustio summa, et repentina vis centralis extinctio, ergo in omnibus casibus *passio cerebri eminens ex varia causa* provocata, hinc apoplexia etiamsi acute decurrit, summo jure ad nevroses est referenda. — Apoplexia nervosa etiam cum aliis nevrosibus, uti colica saturnina, convulsionibus, spasmis, hysteria, hypochondria, epilepsia, paralysi, vesaniis, cum cachexiis variis, uti scrophula, syphilide, arthritide aliisque morbis valde dolorificis complicata incedit.

§. 44. Aetiologya.

Causae hujus morbi distinguuntur in disponentes et excitantes. Quum vero sistema nervosum centrale cuivis homini insit, sine quo existere non valeret, hinc patet, quemlibet mortalem ad hanc apopleiae speciem *dispositum esse*. Dispositio haec tamen acuitur per habitum sic dictum *nervosum*, in quo sistema nervosum peculiari mobilitate, singulari erethismo laborat, qui ex imbecillitate, animi cultura magna, educatione delicatula, cuti nimis tenera, alba, gracilitate artuum cognoscitur, — et per habitum *phthisicum*, qui corpore gracili, tenello, oblonga facie, colore valde candido, cum genarum rubore circumscripto; dentibus angustis, longis, pulchris, lacteis coloris, subdiaphanis, non facile cariosis; collo longo, tenui; extremitatibus longiusculis, praesertim cum digitis manuum longis, tenuibus, unguibus tectis oblongis, ex albido-roseis, pulchris; humeris altis, scapulis instar alarum prominentibus; pectore longo, angusto, compresso; cute tenera, alba, pellucida, capillis albido-flavis etc. excellit. — Praeterea in hanc apo-

plexiam potissimum nituntur débiles, exhausti, pallidi, collapsi, macilenti, sensiles, morbis nervosis, uti: hypochondriasi, hysteriasi, spasmis et convulsionibus omnis generis, paeprimis epilepsia detenti; nutrimentorum penuria, intentione nimia corporis animique, curis domesticis, tristitia, moerore oppressi; infantes sub dentitione; aetas proiecta.

Ad causas excitantes apoplexiae nervosae spectant non solum omnia momenta disponentia ad altiorem gradum evecta, sed etiam illae omnes causae, quae vim nerveam deprimere et exaurire valent; ad quas referendae sunt: jactura humorum nobilium, uti: spermatis per Venerem aut onaniam profusio, sanguinis per haemorrhagias largiores, phlebotomias; diarrhoea; dysenteria; diabetes; variae nevroses, hysteria, hypochondria, epilepsia, convulsiones et spasmi, paralyses etc., febres nervosae, adynamiae, typhosae, hecticae, intermittentes malignae; vita studiis dicata, cum mentis nimia intentione, sedentaria; vigiliae nimis protractae; passiones animum excitantes, uti: ira, nec non deprimentes, uti: anxietas, metus, curae rodentes, moeror, tristitia, sollicitudo, inedia; mentis morbi: mania, melancholia, fatuitas; morbi valde dolorifici; ciborum aromaticorum potuumque stimulantium, potus arabicarum fabarum, fumi herbae nicotianae abusus; partus difficilis; cubilia calce recenter illinita; inhalatio gas carbonii et hydrogenii, vaporum arsenicalium, mercurialium, sulfureorum; venena narcotica, quorum tamen nonnulla, v. g. opium, belladonna, congestiones activas versus cerebrum et inde apoplexias sanguineas inducere possunt; cachexiae variae: syphilis, scrophulosis (ut semel vidimus), scorbutus, arthritis; rheuma; continuo tandem humida, aut humido-frigida tempestas; frigus nimium; morsus serpentum.

§. 45. Prognosis.

In statuenda hujus apoplexiae prognosi omnia symptomata, nam „unum symptoma, nullum symptoma“ secundum sententiam veterum, — causae morbum provocantes, temperamentum, habitus, vitae aegri genus aliaeque circumstantiae rite perpendendae, antequam aliqua verba prognostica ori effluunt. In genere inter omnes apoplexias nervosa pessima maximeque extimescenda; in hac semper ob cerebri affectionem immediatam prognosis erit tristissima et malo omne plena; nam si non citissime lethalis redditur, mala post huma fere semper relinquit, et in sanitatem plenariam abire raro est visa (*Morgagni, C. Thomann*). Paralyses mentisque alienationes, uti: memoriae, intellectus, rationis imbecillitas, adynamia universalis multo frequentius occurunt in apoplexia nervosa, quam in sanguinea. Ceterum prognosis variabit, prouti morbus dynamicus aut organicus est, brevius aut longius tempus duraverit. — Plerumque, si mala post huma et praecipue si paralyses diutius durant, tum prognosis semper tristis erit; de hac re *van Swieten* dicit: „prudentes medici non multum sperant de curanda paralysi, quae per plures annos perstitit, quia jure metuunt nervosam fabricam vel destructam esse, vel jam concretam adeo, ut amplius transmittere possit.“

§. 46. Therapia.

Insultus apoplecticus nervosus consuetim inexspectate et cum tam paucis prodromis venit, ut frequenter vix possibile sit, aliquid ad accessum praepediendum instituere. Si tamen homo, qui jam multos annos numerat, animadvertisit, quod dormire non valeat, et sub somno insomniis horribilibus excrucietur, per quae cum cardiopalmo vehementi expergefit; quod hic cardiopal-

mus sub certo corporis situ, etiam si non dormit, increscit; quod nonnunquam, si sobrius est, aut si vigiliae et frigus, aut curae et molesta negotia ipsum quatiant, tinnitus aurium accedit; sub ingressu repente sensatio intrat, quasi se ad latus vertere deberet; si valde oblivious fit, nonnunquam balbutit — tum extimescendum, quod ictus apoplecticus nervosus immineat. Insultui imminenti tantum per remedia incitantia, modice stimulantia obveniendum. Scyphus boni vini, paucæ aetheris guttulae, nutrimenta roborantia, jusculta carnium concentrata cum vitello ovi, panis bis coctus *Boërrhavii*, panatella cum eroco, quidquam cinnamoni, jusculta vinosa cum ovis, alimenta aromatibus condita, carnes assatae etc. insultum nonnunquam praepedire valent. Sic tractamus matrem, cuius filia apoplectice defuncta (vide Observat. IX.), jam per longius tempus, quin in nostra potestate sit, debilitatem magnam, quam accusat, et tinnitus aurium penitus auferre. Mater est vetula, 85 annorum, curis, tristitiis, morbis praegressis valde debilitata.

Si tamen ictus apoplecticus jam intravit, tum auxilium citissimum valde necessarium est. Non raro tamen medicus arcessitus aegrum aspiciens incertus est, et nescit an phlebotomiam instituat, nec ne. Tum sequentia secundum ingeniosum atque indefessum medicum *Neumann* respicere debet: „Leben und Tod des Kranken“ sagt jener ausgezeichnete Arzt, „hängt davon ab, dass der Arzt richtig erkenne, ob er einen Blut- oder Nervenschlag vor sich habe. Nimmt der Arzt nur auf seinen Ruf Rücksicht, und nicht auf sein Gewissen, so kann er nicht in Verlegenheit kommen; er muss auf der Stelle zur Ader lassen. Stirbt der Kranke dennoch, so macht ihm Niemand einen Vorwurf, im Gegentheil sagt man, es sei von Seite des Arztes Alles zur Rettung geschehen. Hat er aber nicht Ader gelas-

sen und der Kranke stirbt, so überhäuft ihn jeder-mann mit Vorwürfen. Nichts destoweniger ist es ge-wiss, dass ein Aderlass, der bei dem Blutschlage so heilsam wirkt, beim Nervenschlage den Tod beschleu-nigt. Folgende Momente müssen in dem entscheide-nden Momente leiten:

a) der Zustand der Pupille. Ist sie erweitert, so ist am Blutschlag nicht zu zweifeln; ist sie verengt, so ist zwar gewöhnlich Nervenschlag vorhanden, doch habe ich sie auch beim Blutschlage, während der Zu-ckungen, ehe Sopor eintrat, verengt gesehen. Ja es kommt vor, dass die eine verengt, und die andere er-weitert ist;

b) die Form des Anfalles, ob er mit sehr hef-tigen Convulsionen, einem epileptischen Anfalle sehr ähnlich, ausbrach, oder ob diese sehr unbedeutend waren, und bald in Sopor übergingen, ob das Zucken im Sopor fortdauert, was nie bei nervösen Apople-xien geschieht, und ob der Anfall plötzlich, ohne alle Vorzeichen eintrat, oder ob deren vorausgingen und welche;

c) die Gelegenheitsursache. Bestand sie in Schre-cken, Leidenschaft, oder überraschte der Anfall bei einer guten Mahlzeit, nach Weingenuss u. s. w.? Auch hier bleibt viel Zweideutiges; nach dem Beischlafe kann sowohl Blut- als Nervenschlag eintreten;

d) die prädisponirende Ursache. Hat der Kranke einen nervösen Habitus, so hat man Grund, einen Ner-venschlag zu vermuthen; ist er dick, vollblütig u. s. w., so ist wahrscheinlich, dass ihn ein Blutschlag getroffen.

Man sieht indessen leicht, wie schwankend das Alles ist, und dass auf den Scharfblick des Arztes Al-les ankommt. Bleiche oder rothe Gesichtsfarbe kann ihn nicht leiten, ich habe Menschen nach exquisiten

Blutschlägen todtenbleich und nach Nervenschlägen roth, aufgedunsen geschen. Der Puls ist eben so trügerisch; er ist manchmal sehr klein und unordentlich und hebt sich nach dem Aderlasse. Beim Nervenschlage ist er manchmal voll und hart, sinkt aber sehr rasch nach der Blutentleerung.“

Si itaque persuasi sumus nobis cum apoplexia nervosa esse agendum, tum statim aeger in lectum apte, — capite quidquam elevato, — est collocandus, removeantur vestimenta areta, suris adplicantur sinapis-mi, iniciatur clysma irritans et occipiti ponatur capillis abrasio pasta ex farina, pulvere cantharidum etaqua aut aceto confecta, — haec citius agit, quam vesicans, — similis pasta serius epigastrio adplicatur, et orificiis narium teneatur lagenula aperta, ammonia caustica repleta; tum statim causa excitans inquiratur, haec pro viribus est auferenda, e. gr. venena narcotica, gas irrespirabile, aut imminuenda, saltem mitiganda, e. g. animi pathemata, jacturae humorum nobilium, quae omnia jam superius fusius exposuimus. His peractis vis nervea resuscitanda, efficacia cerebri et nervorum functio restituenda venit.

Ante omnia in hoc morbo atria, quae patent, respicienda et dein medicamina apta exhibenda; quoniam ab initio morbi deglutitio frequentissime impedita, tum ad remedia externa, sic dicta analistica, fugendum, quia directe per nervos et non per humorum viam agunt, sensum saporis et odoris adficiunt, nervos omnes benigne feriunt reactiones vitales universas incitando. Hinc, praeter dicta, remedia volatilia, aromatica et spirituosa qua odoramenta adhibita: sal volatile, sal C. C., spiritus salis ammoniaci succinatus, linimentum volatile camphoratum, naphthae, acetum simplex et aromaticum, spiritus camphoratus, lavandulae, rosmarini, olea aetherea, oleum citri, bergamottae, caryophyllorum. Nares errhinis excitantur: pulvere ni-

cotianae, pipere, saccharo, majoranae, hellebori nigri; allio, cepa discissa et naribus admota. Communiter recentiores sternutatoria damnosa, ob majorem sanguinis affluxum versus cerebrum causantia, auxilia in quavis fere apoplexiae specie declarant. Linguae spiritus salis ammoniaci succinatus guttatum instillatur.— Ubi autem deglutitio concessa pro usu interno ordinantur *incitania*: quae volumine quamvis exiguo, magna attamen gaudent efficacia et intervallis brevibus propinuantur, uti: sal et liquor. C. C. succinatus; liquor anod. miner. Hoffmanni; oleum animale Dippelii; tinct. valeriana volatilis et simplex, tinctura serpentariae, castorei; aetheres et spiritus aetherum, spiritus salis ammoniaci caust., anisatus, succinatus; camphora; oleum menthae, cajeput, valeriana, cinnamomi; moschus; et denique laudant nonnulli cum oleo quodam cum cautela phosphorum adhibitum. Si deglutitio liberior evadit, tum praeter remedia adducta, praesertim cum his in combinatione exhibentur: infusa aquosa vel vinosa rad. arnicae, valeriana, angelicae, imperatoria, florum arnicae, cortic. cinnamomi, herbae melissae, menthae piperitae, crispae, cortic. aurantiorum; olea aetherea, camphora in majori dosi.

Remedia haec restaurantia varie, uti casus specialis expositulat, exhibentur. Sic ubi sopor, coma, lethargia sine respiratione sterterosa adest, et hemiplegia vel paralysis deficit, tum *camphora* in dosibus modicis aut pro se sub forma pulveris vel cum mucilagine gummi arabici subacta, aut in connubio cum praeparatis ammoniae aut cum spiritu sulphuris composito, spiritu lavandulato composito, aut cum aliis remediis per bene exhibitur. Ubi facies collapsa, actio carotidum debilis, temperatura capitis imminuta, tum praecipue infusiones ex arnica aut serpentaria magnum adferunt auxilium; nocent, ubi facies turget et vasa faciei et colli nimis sanguine impleta sunt.

Praeter remedia adducta externe summopere conferunt ad morbum tollendum: fomentationes calidæ ad caput cum vino vel spiritu vini; infusis aromaticis, uti: herbae melissæ, menthae piperitæ, florū lavandulae; infuso florū arnicæ cum camphora; camphora cum vino vel alcohole; frictiones et inunctiones fortiores universales et topicae spirituosaæ ex: naphta vitrioli cum camphora, alcohole, liq. anod. min. Hoffmanni; balsamo peruviano et spiritu vi- ni camphorato; salis ammoniaci caustici; Eau de Cologne; balsamo vitae Hoffmanni; balsamo apoplectico in- et completo P. P. 1780; tinctura cantharidum, ad tempora, nucham, scrobiculum cordis, spinam dorsi, plantas pedum et volas manuum instituae. Frictiones extremitatum et spinae dorsi cum pannis laneis vel pectinibus setaceis; aut in horum defectu cum foeno vel stramine contritis, solis, vel aqua salsa et aceto imbutis. Sinapis mi, vesicantia, rubefacientia, armoracea rasa capiti, nuchæ, pectori, brachiis, suris vel plantis pedum, ipsum cauterium potentiale nuchæ et moxa imo epicranio non sine fructu sunt applicata (*Hufeland*). Vesicantia hac in apoplexiae specie ideo saepe multum juvant, quia ob debilitatem universalem, collapsam cerebri energiam vitalem, et praesente actione carotidum tarda sensorium leviter irritant et incitant. Praecipue praesente stupore vel comate vesicantia cum magna utilitate partibus capiti confinibus adponuntur. Hic pertinent eae regulæ, quas *Celsus*, veteranus in medicina, edixit: „Prodest etiam torpantis membra summam cutem exasperasse, vel urticis caesam, vel imposito sinapi, sic, ut, ubi rubere cooperit corpus, haec removeantur. Scilla quoque contrita, bulbique contriti cum ture recte imponuntur. Neque alienum est, resina cutem tertio quoque die diutius vellere; pluribus etiam locis aliquando sine ferro, cu-

curbitulas admovere. Unctioni vero aptissimum est vetus oleum, vel nitrum, aceto et oleo mixtum.“

Si status melior intrat, nonnunquam mox post insultum cum felici successu adhibentur: pediluvia aromatica, acria, semicupia; balnea universalia tepida, stimulantia, ex aqua communi cum infuso menthae, florum chamomillae, sambuci, herbae melissae, ruta, salviae, hyssopi, majoranae, rosmarini, thymi etc., vel ex aqua cum sapone, sale, cineribus, seminibus sinapis (*Hufeland*), spiritu vini, formicis rufis recentibus etc. parata — Clysmata stimulantia ex valeriana, arnica, serpentaria, mentha, ruta, floribus chamomillae, melissae cum sale ammoniaco, sale culinari, vino aut spiritu vini, cum aceti una et aquae duabus partibus, aut cum liq. anod. min. *Hoffmanni*, naphtis; liq. C. C. succinato, camphora mucilagine subacta, aut assa foetida (in hysterics, valde nervosis), vitello ovi subacta, aut ex fumo, melius ex infuso herbae nicotianae parata, cum felici eventu adhibentur.

Inter stimulus pertinent adhuc: flagellatio volarum et plantarum; urticatio volarum, surarum, crurum, plantarum, brachiorum; electricitas, galvanismus, Perkinismus, haec tamen in morbis potius posthumis, praesertim paresibus ac in apoplexia ipsa adhiberi merentur.

In hac apoplexiae specie status systematis sanguiferi semper explorandus et praecipue, num humorum in cerebro congesiones, seu causales, seu laterales seu effectivae adsint, quae ante incitantium memoratorum adlicationem per phlebotomias parvas, vel saltem per locales sanguinis depletiones auferendae essent; interne potus emollientes, decocta paccantia, circulum moderantia, mucilaginosa aut solventia cum tenuioribus infusis: florum chamomillae, radic. valerianae, herbae melissae, menthae crispae aut rubrae; camphora dosi refracta sola, aut prius adhuc cum nitro, salinis mitioribus, sale ammoniaco etc. combinata, ex-

hibenda. — Ubi ob praesentem debilitatem universalem depletiones sanguinis necessariae extimescentur, tum secundum *Aretaeum* cucurbitulae siccae nuchae applicitae, ut sanguinem a capite detrahant, multum juvant.

In hac, uti et in praegressis apoplexiae speciebus semper, dicente *Morgagnio*, urinarum excretio respicienda, et si urina non mittitur, regio hypogastrica exploranda, an doleat et tumeat? si hoc, tum certe urina accumulata et ope cathetris educenda.

Si sub remediorum dictorum adhibitione conscientia et sensuum functiones reducuntur, tum remediorum volatiliter stimulantium usus, sed quidquam minori dosi continuandus et paulatim transgrediendum erit ad illa, quae effectum magis permanentum exerunt, uti: radix caryophyllorum, pimpinellae, galangae, helenii, calami aromatici. Cura denique absolvitur tonicis, extractis amaris, uti: trifolii fibrini, taraxaci, centaurei minoris, radicis colombo, ligni quassiae, decocto lichenis islandici, chiae fuscae, tinturis Martis etc., cubile sit moderate calidum, lucidum; nutrimenta sint eupepta e regno animali imprimis petita et aromate condita, vino generoso vetusto vires erigantur, et harmonia singulorum functionum restituatur; pathemata animi, quantum licet, evitentur, animus occupationibus amoenis distrahatur et elevetur, mens amica et grata conversatione delectetur. Aegri caveant a ligamentorum strictura, a nimis literarum studiis atque nimia corporis intentione, curis mordacibus, ab alvi suppressione, a somno immido, ac a quovis errore diaietetico, dein evitent omnem causam noxiā, per quam insultus facile reduceretur. Senibus debilioribus venus interdicenda est, hos inde ob virium vitalium defectum inopinatae periisse constat. — In magna debilitate remanente potens roborans est tinctura tonica Bestuscheffii.

Si ictus nervosus sub paroxysmo febris intermit-

tentis intravit, eo adnitendum erit, ut paroxysmus futurus cortice peruviano, opio praecaveatur.

Complicationes et mala postuma secundum regulas therapeuticas tractanda veniunt.

Liceat *huc tantum adducere aliquid de cura PARALYSIS morbi, tum ante et sub insultu apoplectico, tum qua malo postumo, frequentissime obvenientis.*

Paralysis, praesente statu systematis sanguifero activo, plethora, ab imminente aut praesente jam apoplexia, ope phlebotomiarum prompte institutarum, sanguinis depletionibus localibus, enematibus evacuantibus, regimine subfrigido et methodo antiphlogistica optime tollitur. Paralysis haec dependet ab extravasato sanguineo, et tollitur, si extravasatum resorbetur, quod fit per auxilia nunc enumerata et remedia resorptionem promoventia. — Paralysis vero asthenica, intrans sub aut post apoplexiam nervosam, uti apoplexia nervosa, remediis indiget incitantibus, in nervos specialius activis, alterantibus. Ex quibus semper prius leviora, dein fortiora exhibentur. His adnumerantur ad usum internum: herbae, radices, flores, fructus oleo aethereo divites, in primis: infusa chenopodii ambros., valerianae silv., angelicae, arnicae, quibus adjunguntur liquores aetherei, tincturae stimulantes, camphora subacta, oleum animale Dippelii, castoreum, moschus. Ad usum externum frictiones cum panno, lotiones vinosa, spirituosa cum aquis aromaticis, unguenta, emplastra, cataplasma stimulantia, fomenta aromatica sicca, spiritus, linimentum volatile camphoratum, unguentum nervinum, olea aetherea, tinctura cantharidum, phosphorus in aethere solutus, vesicantia, unguenta et emplastra caustica, balnea ferrata aromatica, vinosa, spirituosa. — In paralysi oris quandoque sequitur ptyalismus corpus exauriens, tunc collutorium ex decocto tormentillae, addita ruta,

rosmarino et liquore anodyno indicatur. In paralysi linguae frigida *Quarin* nonnunquam cum emolumento exhibuit collutoria ex radice pyrethri cum sale ammoniacō, vel pastillos masticatorios ex radice imperatoriae, seminum sinapis aliisque aceroribus substantiis. — In paralysi ex herpete cito fugato, gummi guajacum, antimonium, flores sulphuris, decoctum ex radice bardanae, stipitibus dulcamarae, radice enulae; balnea sulphurea indicantur. — Egregiam in paralysi curanda vim habent: herba anthos et arnica, jam a *Junkero* in hoc morbo laudata, cujus flores efficaciores herba deprehenduntur. Sed ubi in paralysi vasa enkephali nimium impleta sunt, arnica laedit. — Contra languorem ventriculi paralysi adfectorum proficuum est infusum raphani rusticani. — Setacea, fonticuli, vesicantia, moxae, frictiones cum spirituosis, oleo crotonis vel terebinthinae, linimento phosphorato in qualibet paralysi multum juvant. — Excretiones alvi et urinarum semper respiciendae, et obstacula, quae has imminuunt aut suppressimunt statim amovenda sunt per apta remedia. Alvus semper lubrica servatur per eccoprotica non multum debilitantia, uti: calomel, jalappa, rheum. — Ad efficacissima et fere tutissima remedia in paralysi pertinet *Nux vomica* (*Fouquier*) sub forma pulveris, extracti aut pilularum, et ejus praeparatum, nempe *Strychninum* ($\frac{1}{12}$ — $\frac{1}{8}$ — 1 gr. pro die) sub forma pulveris, tinturae aut pilularum interne, tum etiam externe methodo endermatica adhibitum. Sub horum remediorum exhibitione caute, per Deos, incede, latet ignis sub cinere doloso (*Frank*). Vidimus pluries nucem vomicam in substantia sub forma pulveris exhibendam, sed fere nunquam eventus exoptatus intravit. In duabus feminis in divisione cel. *Seeburger* exhibita nux vomica (gr. unum pro nychthemero) per 12 dies, status nec melior, nec pejor intravit, ideo et ne toxicatio erumperet, seposita, et methodus metasyncritica in-

ducta. Feminae hae erant paralysi ex praegresso insultu apoplectico detentae. — In aliis duabus feminis, quarum una hemiplegia lateris sinistri, altera paralysi extremitatum inferiorum ex praegressa apoplexia laboravit, status ex nuce vomica pejor inductus, et imprimis in illa hemiplegiaca, ubi jam altera die postquam ter $\frac{1}{6}$ gr. partem nucis vomicae sumserat, repente status horrendissimus intravit; misera a convulsionibus tetanicis gravissimis fuit correpta; summis cum cruciatibus corpus mox tensum, mox curvatum fuit, caput detrorsum versum, facies alterata, turgebat, rubebat, conscientia per vices deleta, oculi protrusi splendebant, labiorum tremores, lingua maxillis trismo detentis erat in ore reclusa, respirum difficile, inaequale, anhelosum, pulsus acceleratus, carotides et arteriae temporales fortiter pulsabant; quibus omnibus, licet statim camphora cum moscho exhibita, fomenta frigida capiti, vesicans nuchae et hirudinibus retro aures adplicitis, apoplexia gravis et status soporosus accessit cum paralysi omnium extremitatum, adynamia universalis, loqua tarda balbutiente mentisque alienationibus. In altero casu post tertium nucis vomicae granum levis insultus apoplecticus intravit cum rigiditate artuum et praeccipue cervicis, quae per longius tempus perstebat. Femina haec post hunc novum insultum continuo atque continuo clamabat, ejulabat atque flebat. — Hoc observare licuit! attamen secundum effatum clar. *Seeburger*, observarunt ipsi casus, ubi nux vomica in hominibus, paralysi post apoplexiā detentis, eximio cum eventu exhibita fuit. Communiter inter viginti aegros unum nuce vomica perfecte sanavit. Sic quoque enarravit ille *Vir magnus*, ut pluries Strychnino adhibito paralyses, hemiplegias post apoplexiās intrantes, perbene curavit. — Hoc adhuc adjungendum, quod in remediorum horum adhibitione semper cum nuce vomica incipiendum et observandum an aeger ipsam perfert, nec

ne. Si perfert, tum ad strychninam transeundum. Nonnulli Brucinam qua surrogatum strychnini laudant. — *Mansfield* exhibet jodinam, quam alii qua antidotum strychnini, si intoxicatio adduceretur, laudant. Nux vomica ejusque praeparata nunquam exhibenda, si ad sunt vitia organica cerebri, status congestivus aut irritatus enkephali, et rigiditas tonica extremitatum (*Stokes*¹⁾). Si toxicatio erumpit, statim nux vomica seponenda et ammonium carbonicum qua antidotum optimum porrigidum. — *Evers* in hemiplegia serosa belladonnam cum successu adhibuit et quandoque a x granis ad xx adscendit.

Cel. *Seeburger* flores arnicae cum tartaro stibiato conjunctos qua remedio matasyneritico in plurimis casibus in hemiplegiis post apoplexias cum optimo successu exhibuit; plerumque sub sequenti formula remedia exhibita :

Rp. Flor. Arnic. drach. unam.

Coq. suf. q. Aq. font. per $\frac{1}{4}$ hor. v. cl.

Colat. unc. octo adde

Tartar. stibiat. gran. tria.

M. S. Alle 2 Stunden 2 Esslöffel.

Pedententim tartarus stibiatus adaugebatur usque ad grana quinque.

Sic etiam sequentia remedia sub sequenti formula pluries cum bono successu exhibita.

Rp. Flor. Arnicae

Bad. Valerian. sylv. aa drach. duas.

infund. suf. quant. Aq. font. ferv.

per $\frac{1}{4}$ hor. vas. cl.

Colat. librae unius

post refrigerat. adde

Spirit. C. C. drach. unam

Syrup. cort. aurantior. unc. semis.

M. S. Alle Stunden 1 Esslöffel.

Per totum morbi decursum regimen strictum observandum, praeterea saepius balnea adhibenda tum arti-

¹⁾ *W. Stokes*, Heilung der inneren Krankheiten, deutsch bearbeitet von Dr. Fried. J. Behrend. Leipzig 1835. pag. 208.

ficialia (quae jam superius adduximus), tum naturalia. Inter thermas praecipue efficaces: Carolinae, Badenses, Teplitzenses, Pfefferanae, Wisbadenses, Budenses, Schwarzowicenses, Sklooenses, Lubinenses in Galicia, Iscalenses, Driburgenses etc. celebrantur. Bene quoque adhibentur balnea animalia, ubi membra paralytica in corpus animalis recenter mactati, usque refregescit, collocantur, itaque influxui caloris animalis vivificanti exponuntur.

Summopere juvant in paralysi lotiones, affusiones frigidae, embrocationes sex octave menses post insultum apoplecticum non in caput, sed in partem paralyticam institutae, primo per 8—10 minuta, serius tempus prolongatur ad 20 minuta et ultra; post 16—20 diem affusiones frigidae et psychrolusiae seponantur et post decem dies iterum de novo instituantur et tam diu continuantur, donec effectus expectatus in conspectum venit (*Schönlein*).

Hisce remediis accedunt alia, quae ob insignem suam energiam a medicis nonnullis qua specifica declarata; hic pertinent: electricitas, galvanismus, acupunctura et electropunctura, magnetismus mineralis, electro-magnetismus, magnetismus animalis. — In paralysi post apoplexiā serosam tentare licet electrisationem; sed qui ex apoplexia sanguinea hemiplectici evasere, iis electrisatio perniciosa est, namque et pulsus celeriorem reddit et haemorrhagias movet, et humores majore impetu versus caput agit.

Paralysi amota organismus roborandus, omnesque regulae, superius adductae, strictae observandae, ne novus insultus apoplecticus et cum illo paralysis provocatur.

Liceat, ut opusculum claudam cum verbis eximii atque incomparabilis *Sydenhami* (*Observ. med. sect. II. cap. II. pag. 102*): „Denique, sicubi circa theoriam me hallucinatum fuisse lector deprehendat, errori veniam peto; verum quod ad proxim attinet, profiteor me omnia ex vero tradidisse nihilque uspiam proposuisse, nisi quod probe exploratum habeam. Sane, cum supremus vitae instabit dies, confido mihi assuturum alacrem in praecordiis testem, me non solum aegrorum cuiuscumque demum sortis, qui sese curae meae conciderant, summa fide ac diligentia procurasse (quorum interim nemo a me alias tractatus est, quam ego memet tractari cuperem, si mihi ex iisdem morbis aegrotare contingeret), verum etiam pro ingenii modulo omnes animi nervos in hoc intendisse, ut, si modo fieri possit, morborum medela post cineres meos majore cum certitudine administraretur, ratus, quantumcunque in hoc scientiae genere accessionem, et si nihil magnificentius, quam odontalgia aut clavorum pedibus innascentium curationem edoceat, longe maximi faciendam esse prae inani speculationum subtilium pompa ac levicularum rerum notitia, quae fortasse medico ad abigendos morbos non magis ex usu futura est, quam architecto ad construendas aedes musicae artis peritia!“

Theses defendendae.

- 1.** Antiquissima medicinae pars anatomia est, pulcherrima physiologia, difficillima pathologia, tutissima chirurgia, nobilissimus scientiae *Hippocraticae* flos medicina publica.
 - 2.** Verum *Hippocratis* effatum: „Medicus, qui sufficit ad cognoscendum, sufficit quoque ad sanandum.“
 - 3.** Qui apoplexia necantur, nequaquam habitu semper apoplectico sunt instructi.
 - 4.** Sine necroscopiis nulla foret anatome, nulla physiologia, et miserrima pathologia. *Nob. ab Hildenbrand.*
 - 5.** Ileitis in typho abdominali signum delationis producti pathici ad glandulas ilei.
 - 6.** Chirurgus medicina orbatus oculis caret.
 - 7.** Medicus chirurgia privatus manibus caret.
 - 8.** Medicus simul Chirurgiae Doctor, Ophthalmiater, nec non artis Obstetriciae Magister sit.
 - 9.** Anatomia topographica pro Chirurgo operante fors magis necessaria, quam Geotopographia pro belliduce.
 - 10.** Vultus et oculus corporis animique est speculum, processum morbosum in organismi penetralibus latentem saepissime exhibens.
 - 11.** Bruma pulmoni, hepaticae aestas infensa.
 - 12.** Mutationes temporum potissimum quidem parunt morbos et in ipsis temporibus mutationes frigoris aut caloris (*Hipp.*)

Aphor. Sect. III. aph. 1.) ; dantur vero etiam constitutiones (epidemicae), quae neque calori neque frigori, non siccо humidove ortum suum debent, sed ab occulta quadam et inexplicabili alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, qua aér contaminaatur. (Sydenh. op. Genev. 1749. T. I. Cap. II. P. 22.)

13. Vena portarum, porta malorum.

14. Victa Venere victor Mercurius saepe Marte aut Jodio vincendus.

15. Ex quo calda Arabica introducta erat, medicamine privati, causa nocentis ditiores sumus.

16. Non aetas, verum fida ad lectos aegrorum capta experientia, nec non judicium constituunt medentis valorem.

17. Plurimi morborum chronicorum scabiei retropulsae originem debent.

18. Inopia et abundantia uberrimus utroque morborum fons.

19. Pravum vitae regimen est frequens apoxlexiae scaturigo.

20. Ophthalmiam scrophulosam non curabis, nisi diathesim scrophulosam emendaveris.

21. Lac juvenibus vinum, vinum senibus lac.

22. Simplex sit omnis apparatus chirurgicus.

23. Die Brustparacentese mittelst des Troikars verdient in jedem Falle vor dem Schnitte den Vorzug.

24. Der Steinschnitt wird durch die Lithotritie nicht entbehrlich.

25. Die Operation der Hydrocele mittelst des Schnittes verdient vor jedem sonst üblichen Verfahren den Vorzug.

26. Die Rhinoplastik durch Uebertragung der Stirnhaut übertrifft jedes andere Verfahren an Leichtigkeit und Sicherheit.

27. Cirsophthalmus est haemorrhoidis oculi.

28. Serum in ventriculis cerebri inventum non semper signum praegressae inflammationis.

29. Stethoscopus diagnosim morborum thoracis organorum adjuvat et stabilit.

30. Versio splendidissima artis obstetriciae operatio.

31. Perspiratio insensibilis nos magis sublevat, quam omnes sensibiles simul unitae. *Sanctorius.*

32. Linguae siccitatem et tegmen a salivae exsiccatione aëre permeante dependere, contra cel. *Piorry* defendo.

33. Nec hymenis absentia, nec lactis in mammis praesentia virginem significat defloratam.

34. Inter causas hysteriae frequentis in urbibus majoribus abusus quoque potus arabici recensendus.

35. Nulla operandi methodus herniae recidivam praecavere valet.

36. Perniciosior adhuc, quam typhus et cholera, est Metrophlebitis in puerpera.

37. Si tibi defuerint Medici; Medici tibi sunt
Haec tria: Mens hilaris, Requies moderata, Diaeta.

38. Medicus jam naturae Minister, jam ejus Domitor sit, oportet; verus autem naturae Minister, etsi summa cognitione praeditus, non erit, nisi Deo Religione et hominibus Humanitate adfinis.

39. Der Satz der Bibel: „dass Gott Alles nach Maass, Zahl und Gewicht geordnet habe,“ findet sich in der neuesten Zeit durch die chemische Proportionslehre auf das Vollkommenste bestätigt.

40. Magendii theoria de emesi erronea.

